

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Divinis Revelationibus Earundemque Varietate

**Wernsdorf, Gottlieb
Halbusch, Christian**

Vitembergae, 1713

[urn:nbn:de:bsz:31-2236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-2236)

10

Q. D. B. V.
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO JUVENTVTIS PRINCIPE
 ATQVE
 ELECTOR. SAXON. HEREDE
 ETC. ETC. ETC.
 DN. FRIDERICO AVGVSTO,
 DE
 DIVINIS
 REVELATIONIBVS
 EARVNDEMQUE VARIETATE,

PRAESIDE
 DN. GOTTLIEB WERNSDORFIO,
 DOCT. AC PROFESSORE THEOLOGO, AEDIS O O. SS.

PRAEPOSITO, NEC NON SAXO-ELECTORALIS CONSISTORII
 ASSESSORE, h. t. DECANO MVLTVM GRAVISSIMO,

DN. ATQVE PATRONO SVO, PER OMNE
 VITAE SPATIUM SANCTE OBSERVANDO,

D. OCTOBR. A. O. R. CIO IOCC CXIII.

E DIVI LVTHERI CATHEDRA

PVBLICA DISSERTATIONE

EXPONET

AVCTOR,
 CHRISTIANVS HALBVSCH,

BADA-DVRLACENSIS.

VITEMBERGAE,
 EXPRESSIT FORMIS AVGVSTVS KOBERSTEINIUS.

(1713)

10

0423 62,1,10 RH

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
CAROLO WILHELMO,
MARCHIONI BADENSI ET HOCHBURGENSI,
LANDGRAVIO SAUSENBURGENSE, COMITI SPAN-
HEIMENSI ET EBERSTEINENSI DYNASTAE
ROETELAE, BADAWEYLAHRII
LAARII ET MAHLBERGII,
ETC. ETC. ETC.

PRINCIPI AC DOMINO
MEO
LONGE CLEMENTISSIMO.

z

SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE
LONGE CLEMENTISSIME.

Argumentum de uariis reuelationum generibus, ex quo praepotentis Numinis summa erga genus humanum gratia elucet, paulo copiosius a me deductum, sollicitiusque expensum, TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, sacrum esse uolo, et quicquid hujus scripsi, ad pedes TVOS supplex depono. Peccarem fane in CLEMENTIAM TVAM, si profano potius ausu, aut temerario impetu ductus, quam demississimi obsequii memor, maturo consilio, probeque subductis a me rationibus mentis nimirum TVAE SERENITATI deuotae, humillimum reuerentiae erecturus monumentum, ad TE accederem. Non equidem ignoro uetus uerbum esse, MAGNOS non nisi magna decere, grandeque ab omnibus, quae cultiores sunt, gentibus nefas semper existimatum fuisse PRINCIPVM splendidissimam, quam DEVS clementissime iis indulsit, Majestatem atque Amplitudinem illotis quasi manibus attingere ac tractare: tamen cum REVELATIONES sanctiores, non naturam, non temperamentum, non ingenium humanum, non fiderum positum, non denique ullum subterranei aëris haustum aut afflatum, sed DEVM, Dominum-

minumque nostrum, et Regum illum Regem, auctorem habeant; in SERENITATEM TVAM me minime peccaturum, puta-
vi, si persuaderem mihi, posse hanc operam tanto majorem se-
curitatem sibi promittere, quanto illustrius praefixum nomen
haberet, quo tum bonis se omnibus commendatiorem reddere,
tum aduersus calumnias, et maleuolorum clamores, tanquam
clypeo quodam, defendere possit. Accedit huc ratio priuata,
quae non aliud praesidium, quam TVAM, SERENISSIME
PRINCEPS, gratiam, requirere uidebatur. Quod si enim ue-
teres, pulcherrima quaeque poma suis in agris nata, Diis, quos
opinabantur, Tutelaribus, donarint: Quanto iustius, TIBI Pa-
triae PRAESIDI, Numinisque in terris locum tuenti, has ue-
lut studiorum primitias, humillimus ego seruus, idemque ciuis
TVVS, qui tot jam annos Munificentiae TVAE opem expe-
rior, sum oblaturus. TV uero, PRINCEPS SERENISSIME, se-
renissima ut fronte respicere, ac non tanquam munusculum,
sed uelut pignus, et testimonium, meae erga TE demississimae re-
uerentiae, humillimique obsequii, accipere digneris, subjectissi-
me oro. Quod restat DEVM precor, ut TE, SERENISSIME
PRINCEPS, immanes inter belli procellas, armorumque ho-
stiliū strepitus, dextra sua protegat, SERENISSIMAM PRO-
SAPIAM MARCHICAM florentissimam conseruet, Regimen
tranquillum, Consilia Patriae saluberrima, uitam denique, uoto
omnium piorum subditorum respondentem, ad seros usque an-
nos concedat, omnibusque abunde bonis, quibus pia Piorum
PRINCIPVM uota, et uera felicitas absoluuntur, maectet.
Wittenbergae, iii. Nonas Octobris MDCCXXIII.

SERENITATI TVAE

Devotissimus

AVCTOR.

VIRIS

ILLVSTribVS, CONSvLTISSIMIS, MAXIME
REVERENDO, ATQVE AMPLISSIMIS,

DOMINIS,

DNo. ERN. FRID. BOCHIO,

CONSILIARIO AVLAE INTIMO, ET CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTORI EMINENTISSIMO,

DNo. D. THEOD. SCHEIDIO,

CONSILIARIO ITIDEM AVLAE INTIMO SPLENDIDISSIMO,

DNo. L. MENZERO, I. V. D.

CONSILIARIO AVLICO ET ECCLESIASTICO SPECTATISSIMO,

DNo. I. IAC. EISENLOHRIO,

CONSILIARIO ECCLESIASTICO, SVPERINTENDENTI ET PASTORI ECCLESIAE DVRLACENSIS PRIMARIO, IN ILLVSTRI GYMNASIO P. P. THEOLOGO VIGILANTISSIMO MERITISSIMOQVE,

DOMINIS, MAECENATIBVS, PATRONIS, ATQVE AGNATIS, OMNI OBSEQVIO ET PIETATIS CVLTV AETERNVM PROSEQVENDIS, SVSPICIENDIS,

AEVVM LONGISSIMVM PERPETVAMQVE FELICITATEM A DEO

PRECOR

A V C T O R,



Uas ad Albim de studiis, in aliquot haecenus Academiis continuatis, decerpendas tandem esse existimavi primitias, has VOBIS, MAXIMI MAECENATES, dicari, & consecrari, pro vestro in me amore, favoreque firmissimo, quaeso, concedite. Cum enim maximo semper desiderio flagrarim, et totus in eo fuerim, ut debiti, quo omnem per vitam obstrictus VOBIS tenebor, officii obsequiique vinculum laxarem, et cultum meum aliquo VOBIS ingenii monumento declararem: dolui saepe numero, nihil omnino suppetere, quo voto me exsolverem, VESTRAEque de me expectationi quodammodo satisfacere possem. Non permittebant merita VESTRA, quae nihil non illustre et sublime requirebant, ut exile quidquam et leve VOBIS offerrem; ut vero grandius aliquid, dignumque VOBIS, et debitis meis, praestarem, non concedebat ingenii mei tenuitas, quam cum semper apud me sentio, tum vero maxime, quando de meritis VESTRIS vel in literas, vel in Patriam, vel denique in meipsum collatis, sermo instituendus est. Nihilominus, ut nemini unquam fraudi fuit, Deos, quo tandem modo posset, placare, saepeque etiam viliores res templis dicatae ab animo consecrantis precium sumserunt, ita scripturam levidensem obsequii videbatur compensare honor, si VOBIS, quorum sanctioribus curis Orthodoxiae custodia demandata est, ardorem meum, et quatequale in excolenda, et asserenda puriori doctrina, coelestique veritate, probarem, pariterque observantiae erga VOS meae gratique animi publicum hocce documentum statuerem.

TE, EXCELLENTISSIME BOCHI, Agnate omni pietatis affectu aeternum venerande, nominatim hic compello. TV enim non solum studiorum meorum, qualiacunque illa sint, Auctor, et dux hucdum extitisti, largissimoque eadem post ea, et prolixissimo affectu, indidem persecutus es, sed reliqua etiam, quae conducere mihi videbantur, destinata consiliis TVIS longe saluberrimis direxisti, et omni, qua poteras, ut quidem poteras plurima, auctoritate TVA adeo iuvisti, ut non partes modo fidissimi, religiosissimique Agnati facile transcenderes, ac superares, sed, Parente etiam pridem terrestribus rebus erepto, non Agnati amplius, aut Patroni, sed PARENTIS plane affectum indueres, ejusque locum vicemque ubivis ita impleres atque tuereris, ut, quicquid haecenus fructuosum salutareque in commoda mea fluxit, id TIBI equidem pro-

propemodum omne, si Deum ex cepero, in acceptis referam, lubensque ac merito, multorum magnorumque me debitorum TIBI reum agnoscam aeternum, semperque profitear.

TV quoque, EXCELLENTISSIME SCHEIDI, Cognate nullo non animi cultu prosequende, TV, inquam, quemadmodum maximis me semper beneficiis, pro singulari TVA humanitate, insignique favore, identidem maclasti, ita, si TVA in me merita, quae patent quam latissime, extenuarem verbis, nec, quo digna erant, elogio prosequerer, magnam TV contumeliam, maximum ego dedecus, probrumque incurrerem, et foedissimam ingrati animi notam subirem. Nutus sane TVVS, TVVS vultus, TVVS denique tam frequenter mihi concessus aditus, non modo me benevolentiae, qua Parentem meum *vũv èv áγίους* complexus fueras, incredibilis, heredem pollicebantur, sed etiam omnino me esse, infinita illius specimina, quae ex eo fonte emanarunt, atque ex eodem etiamnum deducuntur, locupletissimo testimonio comprobantur, atque a me hanc eorum publicam depraedicationem, ne illorum memoria penes me consenescere videretur, suo quodam jure efflagitarunt.

Neque TV mihi, EXCELLENTISSIME MENZERE, ullo modo silentio praetereundus es, qui perspectissimi candoris TVI, et propensissimi in me animi, tot salubria, et edecumata edidisti specimina, ut sive MENZERVUM dixerim, sive Maecenatem, idem dixisse, omnibus non immerito videar. Nolo nunc celebrare, quam praeclaro studio, quam recta, et excelsa mente, ardoreque incitatissimo, orthodoxam fidem, ejus studiosos, promoveas, auctoritateque, et patrocinio TVO ita defendas, ut facile appareat, TE Celeberrimae MENZERORVM Familiae, cujus merita in totam, qua patet, Ecclesiam per quam sunt conspicua atque illustria, nomen famamque tueri, et ad gratam, si qua speranda est posteritatem, auctam inviolatamque propagare. Nolo praeterea damnum deplorare ulterius, quod B. BALTHASARIS AVI TVI morte accepit Ecclesia, quemque, si votis illud resarciri posset, iterum iterumque superflitem optaremus, ut hoc praecipue tempore solidam, minimum fucam, pietatem defenderet, successorum vero suorum, qui minime imitantur exemplum, adversus pios, et de tota Christiana Ecclesia meritissimos Theologos, insultus ipse retunderet. Quin potius in hoc orationis meae cardo vertitur, ut gratulandum mihi censeam, optimeque mecum actum esse judicem, quod inter eos sim, quibus ab ore TVO, et consiliis pen-
dere

dere contingat, et quod, quicquid in studiis sacris profeci, et si illud exiguum esse, et valde sentiam, et praedicem libenter, id omne in primis benignitati TVAE non solum acceptum referam, sed etiam debere me, gaudeam atque triumphem.

Causas quoque plures, easque gravissimas habeo, ob quas TIBI VIR MAXIME REVERENDE, EXCELLENTISSIMEQVE EISENLOHRI, Cognate longe aestimatissime, inscripta hac opella gratum me sistam, et beneficiorum memorem. Quoties enim cunque, ut a domesticis exordiar causis, et quae hereditatis quodam jure ad me pervenerunt; illud in memoriam mihi revoco, singulare, et nunquam interruptum, mutuae inter TE, Parentemque meum, dum superstes esset, charitatis vinculum, quo jam nunc TIBI *Plurimum Reverendos Viros*, DN. M. ZINCKIUM, et DN. ZANDIUM, capita mihi carissima, et quibus omnigenam felicitatem impertitam divinitus percipio, haecenus devinxisti: Tum vero, quod virtus suadet TVA et mea exigit pietas, depraedicatione publica in laudes TVAS extollendas exspatior, illudque sedulo ago, ut appareat, Patrem me non exuisse, neque a moribus ejus adeo degenerasse, ut TVI languescat apud me ullo modo desiderium. Sunt tamen etiam aliae causae, quae me propius tangunt, et non postulant tantum gratam TVI recordationem, sed plane efflagitant. Cum enim recordor fidelissimae TVAE institutioni omnia haec, qualiacunque illa sint, studia mea Theologica, exordia sua debere, semenque illud doctrinae tenerae menti olim concretum, in has primitias se nunc resolvere, aequissimam rem fecisse sum arbitratus, si, prouti discipulum erga Praeceptorem de se bene egregieque meritum decet, sacras has earum quasi decimas, in tesseram testimonii publici offerrem TIBI, speque fretus, cum TVAE sint, fore easdem, si nomine TVO superbian, acceptiores, ulterius, a TE patrociniū TVVM mihi expeterem, et asserendis rebus meis favorem TVVM vindicarem.

Atque istae et aliae, quas lubens fideli memoriae potius, quam chartae infigo, causae fuere ante oculos meos obversatae, quae subditis quasi calcariis, ad id humilimi obsequii genus, me excitarunt, et efficacissime, ut publicum aliquod meditarer gratiae mentis documentum, efflagitarunt. VOS jam, MAECENATES, aequi bonique consulite, quod NOMINA VESTRA splendidissima exiguis hisce pagellis, quibus, nisi a materia sit, nullum ab opere ejusve autore pretium est, praescribam. Suscipite serena, qua soletis, fronte primitias hasce studiorum meorum, tenues illas quidem, at magno gratias agendi animo ad VOS delatas, meque virtutum meritorumque VESTRORVM admiratorem cultoremque perpetuum credite, atque in patrociniū, ut olim convestis, ita porro benignissime recipite. *Deum Opt. Max.* publica voce obsecro, atque obnixè obtestor, ut VOS, EXCELLENTISSIMI DOMINI, Ecclesiae divitissime praestet incolumes, et sine omni corporis animique offensa, omnia VESTRA incepta, consilia, vota, ad aeternam totius religionis Christianae gloriam perficiat, fortunet, atque exaudiat!

EXCELLENTISSIMORVM ET AMPLISSIMORVM NOMINVM VESTRORVM
Cultor perpetuus, cliens addictissimus
A V C T O R.

PROOEMIVM.



Quanta cum veneratione, quantaque cum iucunditate, Revelationes vere divinas coluerit pia Antiquitas, omnes vero fictitias, naturaque sua tantum ad decipiendos mortalium animos comparatas, odio fuerit persecuta, neminem nisi omnis historiae, et antiquitatis expertem, latere potest. Hujus igitur materiae, tum dulcedine, tum utilitate, quae ex consideratione ejus haud exigua, nostra in tempora redundat, abreptus ipse, manum huic nobilissimae materiae, publici speciminis loco, admovere constitui. Multos equidem, varia eruditione celebratissimos Viros, hic mihi praevisse non nescio, quorum etiam vestigia pronus adoro; sed, cum nihil in rerum natura extitisse unquam adeo perfectum, atque consummatum, intelligam, quin, si non incrementum, saltem illustrationem quandam admiserit, spes subinde, ut videbatur, crevit, hancce exiguam opellam meam, omni penitus fructu, destitutum non iri. Faxit autem T. O. M. Deus, ut, quemadmodum pro sola ipsius gloria suscipitur, sic quoque pro ea. finiatur, labor!

CAP. I.

SECT. I. THETICA.

§. I.

DE variis Revelationum modis in praesentia sumus acturi. Quod, ut recte cedat, probare mihi ante incumbit, talem dari, quam ad alia demonstranda pergam. Id enim temporum injuria, proh dolor, exposcit, dum in ea incidimus, quibus Atheistarum, Naturalistarum, Scepticorum, aliorumque Fanaticorum Spiritus, omnia, quae divina sunt, pessum dare magno nisu conatur. Praestabimus autem hoc ipsum, tum in genere, ubi ostendero argumentis, ut puto, solidissimis, ceu a priori desumptis, dari revelationem abstractivè consideratam, non attendendo num illa divina an saltim humana sit, tum in specie, dari divinam quandam, et supernaturalem. Duplex inde, prona quasi via, enascitur argumentum, alterum rationis, alterum Scripturae.

§. II.

I. ARGUMENTUM EX RATIONE desumptum est,

1) ex operatione Intellectus, circa objectum aliquod, antea ipsi ignotum, quod tamen crebra, et ea quidem intensiore, intellectus operatione, notum evadit.

A

vadit.

vadit. Quo, ceu a minori ad majus, concludo, probabiliter dari revelationem, quae postmodum ex circumstantiis dijudicanda venit, quae et quanta sit. Illud enim objectum, quod ante, quam intellectus accedit accuratum scrutinium, examen, seu operatio, est incognitum, crebra vero, et intensiore Intellectus operatione fit cognitum, illud ipsum est revelatum, adeoque datur revelatio; Atqui, quoddam objectum ante incognitum, quam Intellectus accurata operatio accedit, fit cognitum, E. illud est revelatum, adeoque patet existentia revelationis. De eius quantitate, et qualitate infra dicemus. Majoris veritas per se patet. Id enim ex natura α revelari patet, ubi, facultate Intellectus rerum, varia caligine operatarum, et per se ignotarum, adprehendimus notitiam. Cognitum enim esse, atque revelatum, in naturalibus minimum, synonyma sunt, et relationem atque respectum inferunt ad prius ignotum. Minor, ex exemplis quibusdam, ex Mathesi desumptis, fufius probari pollet, ni, et scopi ratio, et brevitatis studium fuisset habendum. Unicum tantum, quod, ni omnino fallor, lucem argumento nostro adferet, in medium, illustrationis ergo, proferam. Esto aliquis Mathematicus, inquirens in latitudinem, vel longitudinem objecti sui mathematici, quam prius habet incognitam, accedente autem operatione, secundum principia mathematica, haec et latitudo et longitudo, objecti sui, ipsi fiunt clara et revelata, nisi semetipsum in processu fallat. Quis itaque negabit, hanc Mathematici operationem, quodammodo revelationem dici posse, cum constet, ipsum ea antea latuisse? Quo circa, cum in naturalibus locum sortita fuerit revelatio, cur in spiritualibus ipsi sit denegandus, non video, si imprimis summa rei necessitas, ingenii humani imbecillitas, et alia momenta, infra afferenda, ex animo ponderentur.

2) *Ex vi conjugatorum, Concreti et Abstracti.* Datur revelans Deus, E. etiam Revelatio. Ab actione enim Deus, et actu revelandi, denominatur revelans. Sed utrumque adstruit D. Paulus Rom. I. 19. $\Delta\iota\sigma\tau\iota$, inquit, $\tau\omicron$ $\epsilon\gamma\gamma\omicron\nu$ $\tau\delta$ $\theta\epsilon\omicron\varsigma$ $\Phi\alpha\nu\epsilon\rho\gamma\omicron\nu$ $\epsilon\sigma\tau\iota\nu$ $\epsilon\nu$ $\alpha\nu\tau\omicron\iota\varsigma$, Vide actum revelationis, δ $\gamma\alpha\rho$ $\theta\epsilon\omicron\varsigma$ $\alpha\nu\tau\omicron\iota\varsigma$ ϵ $\Phi\alpha\nu\epsilon\rho\omega\sigma\epsilon$. Quid clarius itaque ab Apostolo dici poterat, quam et revelationem, et revelatorem, esse, ac dari. Nec finit Deus, se esse non revelatum quippe qui coli vult atque honorari. Quod si vero sui nobis non dedisset revelationem, quomodo ipsum colere, quomodo venerari possemus? De cetero hic in transitu notamus, quod hic parum solliciti simus de modo revelationis, num naturalis, num vero supernaturalis, hic a Paulo insinuetur. Sive enim pro communiore Ecclesiae Orthodoxae sententia dicas, loqui Paulum l.c. de naturali revela-

revelatione, nihilominus obtinebis, dari revelationem aliquam, quod pro praesenti argumento erat demonstrandum, sive dicas cum quibusdam, loqui eum de supernaturali revelatione, iterum evinces ejus existentiam et quidem divinam. De quo vid. *Quensl. Syst. Theol.* P. I. fol. 251 seqq. et alibi passim. Convictus enim de naturali revelatione, lumine naturae facta, adigendus est firmis rationibus, ut persentiscat eandem insufficientem esse, et tanquam Paedagogum, ducere ad alteram illam, quae est supernaturalis et spiritualis, quod egregie, ac in compendio, meo judicio, fecit *B. D. BECHMANNVS* tum in *Institutionibus suis, tum in Polemica Theologia*, ubi de hac materia prolixius egit.

3.) *Ex hominis naturalis Intellectus imbecillitate*, qui per se minime aptus est supernaturalia cognoscendi, e. g. futura contingentia, certae veritatis eventuum futurorum vaticinia, etc. Quae tamen in quibusdam, ut *Θεοπνευστοῖς* Prophetis viris, deprehenduntur, qui stupendo profus modo talia enarrant, quae captum humanum, per se consideratum, longe transcendunt, cum earum rerum, quas modo attulimus, nexus minime in eorum potestate situs sit. Quo circa infallibiliter concludo iterum, ipsis aliunde ea innotuisse, ac revelata fuisse. Nam quicumque ea enarrant, quae eorum captum longe transcendunt, veritate tamen, atque eventu comprobantur, illis haec nosse aliunde datum est atque revelatum, adeoque datur revelatio; Atqui Prophetae etc. E. Nexum majoris supra jam probavi, scilicet quod nexus futurorum eventuum, eorumque certitudo, non sit in illorum potestate, nec Intellectus humanus in se iis edicendis par sit, quippe quae sunt remotiora, quam quae is penetrare suis viribus nativis possit. Licet de cetero homo in terrenis rebus et mundanis post peccatum Originis residuam adhuc habeat aliquam luminis primaevis scintillulam, tamen in divinis et spiritualibus, quae aeternam felicitatem spectant, ita coecus est et depravatus, ut nec quicquam veri cognoscere, nec quicquam boni praestare, sine DEO possit, conf. 1. Cor. II, 14. Eph. V. 8. Sed Minor ex oculari Prophetiarum V. T. inspectione, et accurata rerum earum collatione patescit. Unde egregia non minus quam religiosa sunt, quae *PHILIPPVS MORNAEVS*, *GALLUS ille eruditissimus, in Libro suo de veritate Religionis Christianae, contra Atheos, et alios disputans* habet c. XXIV p. m. 401. *At praeterea, inquit, si multa in S. Scriptis, tanquam de revelationum speciebus una, invenimus, quae non ulla creatura praedixisse aut etiam dixisse possit, quae in nullius hominis mentem cadere queant, quae non praeter naturam modo, sed etiam contra naturam sint, ullusne erit pertinax adeo, et salutis*

suae hostis, ut non se dedat et tradat veritati? Ille non acquiescat quieti et saluti suae, praesertim ubi manum, chirographum, sigillum DEI ipsius manifesto conspexerit. Haec ille.

4) *Ex rei necessitate.* Vnde statim arguo: Quicquid homini salvando absolute necessarium est, illud omnino datur; Atqui revelatio divina homini salvando absolute necessaria est, E. Revelatio divina datur, Minor probatur, quia homini salvando necessum est, scire, Deum non modo esse summum illud bonum, sed etiam per certa media sibi divinitus praescripta acquirendum, unum esse in essentia, trinum in personis, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, illum modo non arbitrario et electitio, *Indifferentiarum* more, quem abominatus est DEus, Deut. IV, 2, Matth. XV, 19. Col. II, 18, sed sibi divinitus praescripto, Gen. IV, 4. Hebr. XI, 4. convenienterque, esse venerandum, ni summa velis eundem injuria afficere, prout eruditissime MAGNIF. DN. D. FOERTSCHIVS *Fautor, Patronus, Praeceptor, Hospes quondam meus atque Susceptor ad cineres usque submisse venerandus* in *Coll. Privatissimo MSC. Thetico-Polemico-Historico*, argumento ab excellentissima DEI natura, nostraque ab eo dependentia desumpto, pluribus ostendit Prop. IV. in *Αποδείξει* seu demonstratione solida §. 6. seq. Porro homo scire debet, ex mera gratia, per Christum parta, nos salvari, gratis sine operibus nos justificari, Spiritum S. tertiam esse Trinitatis personam a Patre Filioque, ut paracletum, mundo missum, nos regenerantem, sanctificantem etc. Omnia autem ceu absolute ad salutem aeternam consequendam necessaria, non nisi ex Revelatione divina cognoscuntur, cum ejuscemodi notitia, ut infra contra Spinozam dicemus, non ex natura, sed ex revelatione divina tantum dependeat, teste *Paulo* 1. Cor. II, 13. Matth. XVI, 17. Unde Christus suos Joh. XVII, 3. et Apostoli 1. Joh. V, 11, 12. non ad naturam, sed ad revelationem divinam ablegarunt. Et idem hoc argumentum supra laudatus MAGNIF. DN. D. FOERTSCHIVS l. c. p. 170. cum B. MUSAEO in *Introductione* p. 866, et VINCENTIO PLACCIO in *lib. de Tractat. Philosoph. Moral.* eruditissime urfit cum ait: *Deus non ex proprio hominis ingenio est colendus, ut supra dixi, sed ex praescripto Domini sui et voluntatis, E. cum Deus sit benignissima voluntatis et bonitatis erga nos, credibile est, Deum revelasse in mundo, quomodo coli velit.* Et paulo post: *Cum homo nesciat modum placandi Deum, et adeo acceptum cultum DEO exhibere nequeat, Deus vero, non obstante, quod justus est, tamen et immensae bonitatis sit, lenitatis, et provida cura ejus ubique patefcatur, maxime vero in hominibus, credibile est, Deum tam necessariam rem revelasse hominibus miseris.* Quod ipsum in primis contra

HER-

HERBERTUM de CHERBURY, *Liberum illum Angliae Baronem*, et ipsius affectas, nimium naturae corruptae viribus innitentes, notandum velim. Cum enim schola naturae, nec ad veri Dæ cognitionem, ejusdemq; legitimum usum ducere nos potuit, nec salutis rationem aperire, qua miseri terrae hujus incolae possent ex peccati miseria ad perfectae beatitudinis statum, qui in unione cum DEO positus est, eluctari, utique superior scholae gratia fuerat necessaria, in qua ipse Deus, mediante revelatione, ceu Magister per praecepta, nos doceret, nos in sui cognitione et cultu instituyendo, et ad aeternae salutis fruitionem in sui communionem evibendo, quo nec Philosophia, nec ratio unquam assurgere potuit, vid. TURRET. *Instit. Theol. Elench. Loc. 11. p. 62.*

5) *Ex summa DEI bonitate & benignitate sui quam maxime communicativa.* Nam cum hominem condiderit ad se, i. e. ad finem supernaturalem, et conditionem, hac terrena longe felicior, non potuit illi procul dubio, vi hujus, hac in parte deesse, sed illi felicitatem ipsam, et viam eo perveniendi, quam ratio ignorabat sibi relicta, verbo et revelatione aliqua declarare. Ex hoc itaque fundamento iterum firmiter, pro stabilienda thesi nostra, infero: Quicumque tantae est benignitatis et bonitatis, qua omnium secundum eam velit ferio salutem, is etiam omnia media suppeditat, quibus summa illa et aeterna felicitate frui queamus, inter quae merito numeranda venit revelatio divina de ejus voluntate ad salutem ducente; Atqui Deus etc. E. Major iterum clara est. Qui enim vult consequens atque finem, hominum sc. salutem, 1. Tim. II, 4. ut Deus, is etiam vult antecedens, seu media, ad illam consequendam sufficientia. Nullo autem commodiori medio id agere DEus potuit, quam sua revelatione, hominem salvandum hac de voluntate sua instruendi, quid eum credere, quidve facere vel minus deceat. Quare D. Paulus Rom. I. 16 dicit *Εὐαγγέλιον τῆς Χριστοῦ, δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν, παντὶ τῷ πιστεύοντι, Ἰουδαίῳ τε πρώτῳ καὶ Ἕλλητι.*

6) *Ex inductione Consensus fere Universalis.* Notatu quam dignissima sunt, quae apud T. CICERONEM leguntur: *Quae est autem gens, inquit, in Lib. I. de divinatione p. m. 149. sqq. aut quae civitas, quae non aut extis pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut Astrologorum, aut sortium, aut somniorum, aut vaticinationum praedictione moveatur. Est enim vis et natura quaedam, quae tum observatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu inflatuque divino futura praenunciat.* Quo itaque referam hanc ab omnibus acceptam, licet gentilem et superstitio-

perditionis plenam opinionem, nisi quod crediderint et Gentiles, utique aliquam esse arcanorum revelationem a Supremo Numine habendam, quod ipse Amico suo, fato stoico omnia adscribenti, regesserat: *Arcem Tu quidem Stoicorum inquam defendis, Quinte, siquidem ista recipiuntur, ut et, si divinatio sit, sint DII, et si DII sint, sit divinatio.* Imo quis est, qui negabit, esse, darique revelationem divinam, qui tamen viderit nullam unquam extitisse gentem, nullamque aetatem ea destitutam unquam, quae non ejus concatenata quasi serie pio cum affectu meminerit, Numinis sc. aliquali sensu divino tacta, quique deprehenderit in sciscitantibus ex Oraculis suis tot responsionum atque revelationum varietates. Quo tandem et illa, *Delphicum, Apollinis, Ammonis, Dodonaeum, Didymeum,* et alia facerent oracula, oraculorumque horum petita, nisi eorum sectatores intra se fuissent persuasi, numinis aliquam esse vim, qua sibi ea, quae vel propria Intellectus imbecillitas et temporum injuria obvelarit, revelata fierent. Conferantur *Poliatri illius Harlemensis ANTONII VAN DALE de Oraculis Veterum Ethnicorum Dissertationes*, qui tamen ob id caute legendus est, quod vel nullos malos Spiritus, vel nullas eorum vires agnoscit. De quo vide sis *COLLECTORES der unschuldigen Nachrichten/ Tom. II. ad Annum 1702. p. 176. sqq.* Ex his vero dictis ita infero: Quicquid omnes gentes ipso facto dari, et esse profitentur, id dari probabile est; Atqui Revelationes etc. E. Major cum HESIODO L. II. ἐγὼν vers. penultimo probatur:

Φήμη δ' ἔστι πάμπαν ἀπόλλυται ἠνθίνα πολλοὶ
λαοὶ Φημίξσι.

Non etenim penitus vana est sententia multi,
Quam populi celebrant. Quare et ARISTOTELES, *ad Nicom. X. 11. Potentissima est, inquit, probatio, si in id, quod dicimus, omnes consentiant: et CIC. 1. Tusc. In re consensu omnium gentium Jus naturae putanda est.* SENECA vero *Epist. 117 argumentum, inquit, veritatis est, aliquid omnibus probari, quod Quintilianus repetiit: Pro certis habemus ea, in quae communi opinione consensum est. a)* Minor et ex supra adductis per se patet, quibus ni scopi ratio fuisset habenda, plura iis addere facillimum foret, quod argumentum prolixiori stylo produxit *Rogerus in der eröffneten Thür zum Heydenthum/* et complures alii, qui videndi, si placuerit.

7) *Ex duplici appetitu homini naturaliter insito; altero veritatis, altero immor-*

(a) Quos vide et plures alios apud H. GROTIUM d. J. B. et P. L. I. c. I. §. 12. citatos.

immortalitatis, altero sciendi verum, altero fruendi summo Bono. Ut enim Intellectus contemplatione veri, sic voluntas fructu perficitur boni, in quo vita aeternae beata posita est. Cum enim frustra isti appetitus esse nequeant, necessaria fuit revelatio, quae primum verum, et summum bonum, et utriusque viam ostenderet, quod natura non potuit. Quod argumentum TURRETINI est l. c. p. 62. §. 4.

8) *Ex absurdis consequentibus.*

1) Nam, si Deus miseris hujus miserae terrae incolis rationalibus, suam voluntatem, de sui cognitione, cultu, deque animae immortalitate, et metuenda post hanc vitam malefactorum poena, bonarum vero actionum expectando praemio, non revelasset, sequeretur, hominem, ad sui imaginem primitus conditum, non melioris esse prae brutis et felicioris conditionis, quod absurdissimum. Nam supra modo ostendimus, sine revelatione hominem nescire viam bono summo fruendi.

2) Aut Deus non potuit, aut non voluit, voluntatem et media salutis revelare. Si prius, scilicet, quod Deus non posset voluntatem suam de aeternum beando homine per certa salutis media revelare, tum sequitur, quod Deus, Deus esse desierit, sui ipsius nescius, nescius quid ipse vel velit, vel nolit, caligine adeo mentis obvolutus, impotens demonstrandi, quid bonum, malumve sit, quod de DEO asserere blasphemum esto. Si posterius, quod noluerit, Justus in Injustum Deum mutatur, cum homines ob neglectam de voluntate sanctissima sua revelationem punit; imo ipse hac ratione suae ipsius bonitati summae repugnaret, qua omnibus adesse studet, clementissime omnium salutem aeternam promoturus. Probabile E. est dari revelationem eamque divinam, quod erat demonstrandum.

§. III.

II. ARGUMENTUM S. SCRIPTURAE est,

1) inde deductum, quod DEUS se non sinit ἀμαρτυρον, Actor. XIV, 17. Qui itaque se non sinit ἀμαρτυρον, testimonii expertem, is consequenter sese revelare debet. Atqui DEUS etc. E. Minor ex l. c. patet. Major iterum clara est, quippe idem sunt, se non sinere ἀμαρτυρον, ac se revelare. Sive vero hoc Deus faciat per testimonium conscientiae, Rom. II, 14. sive naturae, quod respexit Paulus l. c. et Rom. I, 20. sive Scripturae, Rom. III, 21. Joh. V, 39. sive per symbola, et alios modos, perinde est, modo constet revelationis certitudo,

2) Ex

2) Ex Ebr. I, 1, 2. Ubi expressis verbis asseritur, dari revelationem divinam, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, Patribus per Prophetas in V. T. per Filium vero in N. T. factam.

3) Ex Daniel II. v. 27, 28, 47. Ubi a Propheta Daniele asseritur, quod Regis somnium interpretandi facultas, per quod Regi Deus futurum regni sui casum indicare et praefigurare voluerat, non sit in humanae naturae ingeniique viribus, sive adducat sapientes, magos, Astrologos, haruspices, seu quoscunque alios, fortis humanae non expertes, Aegypti Sapientes, quippe quibus a Deo sunt praefixi naturae termini atque limites, quousque sese sagacitas humana extendere debeat. Itaque v. 30 dicit Propheta, de me autem, non per sapientiam, quae sit in me prae omnibus viventibus, arcanum istud est revelatum mihi. Posita hac ratione ἀγέρει, ad ipsam Thesin procedit, demonstraturus unicum omnis revelationis divinae principium solum DEVM esse v. 28 per essentiam, communicative saltem in creaturis rationalibus, et v. 22, dicit: Ipse revelat profunda et abscondita, novit quod in tenebris est, et lux cum eo habitat.

4) Ex testimonio Israelitarum Deut. XXIX, 29. Ubi Israel testatur, quod sibi filiisque suis sint mysteria DEI ad faciendum omnia legis hujus verba revelata. Cum his et alia confer loca I. Cor. II, 10. nobis vero DEUS revelavit per Spiritum suum, qui omnia etiam profunda scrutatur. Col. I, 26, 27. mysterium illud, quod absconditum fuit a seculis et aetatibus, nunc autem factum est manifestum sanctis eius etc. Rom. XVI, 26. Nunc vero factum est manifestum, et per Scripturas Propheticas, ex imperio aeterni DEI ad obedientiam fidei omnibus gentibus notificatum. Luc. I, 70. Locutus est Deus per os sanctorum, qui a seculo fuerunt, Prophetarum, suorum, et alibi.

5) Ex inductione revelationis divinae specierum. Ea enim quam maxime ratione, veritas revelationis constare debet, quod variae de facto extant revelationis divinae species, siquidem Deus modo sese revelavit per *alloquium*, ut Adamo Gen. I, 28, 29. Gen. II, 16, 17. c. III, 9, 10. Noacho Gen. VI, 14. sq. c. VII, 15. Abrahamo Gen. XII, 1. Populo Israelitico Exod. XX, 1. Samueli I. Sam. III, 4, 6, 8, 10. modo *vigilantibus*, Jes. VI, 12. Ezech. c. I. Jerem. III, modo *dormientibus*, modo per *Urim et Thummim*, modo per קֹרֶת־נֶחֱבִינָה nunc aliis rationibus de quibus infra dicemus.

§. IV.

Sed ad reliqua jam propero, ne nauseam B. L. multa sententiae nostrae proba-

probatione creem, et illis quidem, qui norunt, creduntque, recte pieque semper Revelationem divinam, ceu principium et regulam, ab Ecclesia Orthodoxa, fidei morumque, aestimatam fuisse, cujus natura requirit, teste *Philosopho Lib. I. Post. c. 2. Lib. I. Top. c. I. n. 6*, ut principium sit ἀναπόδεικτον, indemonstrabile, πρῶτον, nec ante se habeat prius, unde probetur, ἀπίσιον, cui per se fides habeatur, ut adeo supervacaneus fere labor videri queat multis eam rationibus probare velle ut *QUENSTEDIUS censet Syst. Theol. P. I. c. 3. Sect. II. fol. 34. de Theologiae principio, B. D. NEUMANNUS, Vir de hac Academia totaque Christiana Ecclesia, dum viveret, insigniter meritus, in sua Theologia Aphor. Cap. II. Aph. I. p. 113.* Si enim ea tanquam a priori veniret demonstranda, omnis exspiraret principii natura, et dignitas, nec foret aliquid absolute primum, sed potius secundum. Unde et quicquid hucdum disputatum fuit, non tam demonstrationis, quam declarationis causa, monere volumus.

SECT. II. POLEMICA.

§. I.

EX haftenus dictis non dubito sponte profluere, dari aliquam Revelationem divinam, eamque a sola DEI gratia, non natura, dependentem. Sed ut nullum doctrinae Christianae caput a Satanae instrumentis integrum atque intactum hucdum praetermissum fuit; ita et hoc varias subiit vicissitudines, et sollicitationes. Majoris vero perspicuitatis doctrinaeque causa, tres classes constituemus, ad quos omnes errores, qui thesi nostrae adversantur, commode referri posse putamus.

§. II.

I. CLASSEM *Athei* atque *Pagani* constituunt, qui, sicuti Deum non modo contra scholam superiorem, Verbique divini dictamen, sed etiam inferiorem, creaturae nimirum, propriaeque conscientiae stimulos, negant; ita etiam omnia divina, adeoque revelationes vere divinas, rejiciunt, quo tanto securius carnis et tenebrarum opera perpetrare possint. Quos vero prolixiori studio refutare non placet, cum id jam dudum Viri gravissimi, ac sapientissimi fecerint.

B

§. III.

II. CLASSEM illi ducunt, qui indirecte eas impugnant, licet magni alias divinas revelationes facere videantur. Quoniam enim plus, quam par est, raptus suos ecstáticos, somnia et colloquia cum Angelis sectantur, proque divinis fidei morumque principiis habent, merito huc referendi sunt non modo antiquiores *Paracelsistae, Schwenckfeldiani, Weigeliani*, sed etiam recentiores, utpote PETRUS POIRETUS IN OEC. cap. 7, §. 12 *qui veritatem non in revelationibus vere divinis, sed in corrupto animae nostrae centro, lucentem consulendam esse, contendit. Per hanc enim hominem ad Deum, atque aeternam salutem duci, verumque fieri Christianum posse, licet forte Evangelii revelationem ceu literam ignoret, persuasus est. Quod ipsum quo facpius et accuratius expendo, eo magis animum meum admiratio subit, qui factum, ut JOACHIMUS LANGIUS Prof. Halensis in epistola quadam ad eundem data, et Amico cuidam, tum temporis iter in Belgium Federatum meditati, commissa, quæ deinceps, nescio quo fato, in aliorum, et meas quoque ipsius manus incidit, Poiretum tot tantisque elogiis, ac ferme ultra humanam fortem, efferret. Huc omnino referendi D. PETERSENIUS, qui in dem Sendschreiben / Ao. 1691. virginis Aseburgicae revelationes pro divinis habuit. BARTHOL. MEIERUS, Sup. olim Gvelferbytanus: „HENR. KRAZENSTEINIUS Aurifaber Quedlinburgicus, ac feminae numero plurimae, de quibus consuli meretur B. D. FEUSTKING *Gynaeceum Fanaticum*, „Nuperime vero hujusmodi revelationes probare visus est PARIS, *Ecclesiastes Reformatus Hazgerodanus*, hujusque defensor, quibus se opposuit DN. „J. E. SCHVLENBURGIUS, Theologus, & Prot - Ecclesiastes Aulae Quedlinburgensis in libro von Offenbahrungen.*

Illia CLASSIS Scepticorum, Naturalistarum et *Ψευδο Θεολόγων* est, quorum argumenta pro modulo nobis concessio examinabimus.

§. IV

Et huc I. spectat Maledictus ille BENEDICTUS SPINOZA *Belga Judaizans*, omni, id est, nulli religioni addictus, eandem fere tibiam inflans in *Tractatu suo Theologico-Politico de libertate philosophandi*; quem dissimulato primum nomine publici Juris fecit *Hamburgi* apud *Henricum Kubnrath*, ut titulus mentitur, cum hujus nominis tum temporis, Anno scilicet 1670. nemo, vel Bibliopola vel Typographus fuerit *Hamburgi*. Anno 1684. alium quempiam emisit, quem

quem specimen Artis ratiocinandi inscripsit. Priorem tractatum refellere inter alios studuit, D. JOHANNES MUSAEUS in *disputatione Jenae* habita respondente CHRIST. FRID. KNORRIO. PETRUS quoque DANIEL HUETIUS in sua *demonstratione Evangelica* paslim retudit Spinozam, licet ipse optimam subinde causam male egerit, textumque sacrum contuperit. Omnibus vero his anteponendus nostro iudicio est REGNERUS a MANSFELD, *Philosophiae in Academia Ultrajectina Professor*, qui hocce SPINOSAE scriptum a capite ad calcem castigavit, cuius opus posthumum *Amstelodami*, opera *Abrabami Wolffgangii* A. 1674. prodiit. In hoc igitur libro SPINOZA c. I. asserit:

1.) Ipsam cognitionem naturalem, prophetiam uocari posse et revelationem, quia ea etiam, quae a lumine naturae cognoscimus, a sola DEI cognitione, ejusque decretis dependeant. Vulgum autem ita loqui, ut cognitionem, naturalem a Prophetia et revelatione exclusam velit, p. 2.

2.) Primam Revelationis causam positurus, ait, *eam esse mentis naturam*, addita hac ratione, *quia mens nostra*, ex hoc solo, quod Dei naturam obiective in se contineat, deque eadem participet, potentiam habeat ad formandas notiones rerum, et hinc merito mentis naturam, quatenus talem, primam, divinae revelationis causam esse. Unde p. 3. dicit, *non omne* id, quod S. Scriptura, ait, Deum alicui dixisse, pro Prophetia et cognitione supernaturali habendum est.

3.) Specialem vero causam omnis revelationis quando aperire intendit, asserit: *eam fieri per vividiores* imaginationem, ac per imagines. Quo ipso negat omnem revelationem divinam. Et post medium p. 5. *Quod*, *revelatio* per solas imagines contingat, patere ex 1. Par. XXI; et in fine: Imaginibus vero non realibus, sed a sola imaginatione Prophetarum dependentibus, revelavit Deus Josepho dominium sibi futurum. p. 7. neminemque praeter Christum, nisi imaginationis ope verborum aut imaginum DEI revelata, accepisse, atque adeo ad prophetandum non esse opus perfectiore mente, sed vividiores imaginatione. Unde putat ille patere, p. 14, cur prophetae omnia fere parabolice et aenigmaticae perceperint docuerintque, atque omnia, spiritualia corporaliter expresserint, quia haec omnia cum natura imaginationis magis conveniant. Imo ulterius procedit c. II. p. 18. dicitque, hominis temperamentum non tantum plurimum valere ad prophetiam generatim consideratam, sed et, pro ratione temperamenti, variare prophetias. Si enim Propheta erat hilaris, ei revelabantur victoriae, pax, et quae porro homines,

„ad laetitiam movent; tales enim similia saepius imaginari solent. Si contra „tristis erat, bella, supplicia, et omnia mala, ei revelabantur. Et sic, pro- „ut propheta erat misericors, blandus, iracundus, severus, eatenus magis a- „ptus erat, ad has, quam ad alias revelationes.

„4) Pernegat Apostolos, suas epistolas, inspirante Deo, sed e solo lumi- „ne naturae scripsisse, quanquam, praedicantes Verbum Dei, prophetae fue- „rint, in scribendis tamen suis epistolis tantum fuisse Doctores.

§ V.

Sed contra has impias, imo blasphemias hypotheses sequentia notamus. Et quidem ad

I.) Concedimus utique duplicem dari revelationem, alteram *naturalem*, alteram *supernaturalem*. Ultraque est a Deo. Illa *Physica* s. naturalis quidem cognoscit Deum, l. per suam notitiam mentibus hominum innatam, congenitam et impressam, unde ἐμφυλῶς audit, l. per acquisitam, ex inistis illis naturae principiis per ratiocinium rectum, & accuratam creaturarum contemplationem ortam, unde ἑπίκρησις salutatur, imo non modo Deum esse, sed etiam quaedam ejus attributa. Quare Actor. XVII, 27. gentiles dicuntur Deum veluti palpare manibusque contrectare posse, ex iis, quae condidit, sed saltem confuse et indistincte. Haec vero specialis ac supernaturalis revelatio, quae sola, non ex natura, sed DEI gratia dependet, sola distincte et adaequate Deum cognoscendum tradit. Cum itaque illa generalis confusam saltem, imperfectam, et obscuram de DEO tradat cognitionem, quilibet videt, male Spinozam hanc dicere revelationem divinam, atque prophetiam, imo generalem cum speciali pessime confundi, quam tamen accurate Paulus I. Cor. II, 14, 15. distinxerat. Quae illius confusio inde patet, quod asserit, cognitionem naturalem prophetiam vocari posse, i. e. aequae ac aliam revelationem, proprie sic dictam, vere prophetiam. Origo hujus confusionis ejus detestabilis hypothesis est, Deum ab hoc universo distinctum non esse, eiusque decreta esse universi, five naturae, leges, hominem autem, quatenus est universi pars, de divina natura participare, et hanc DEI naturam cujus particeps sit ipse, divina decreta dictare, unde sit et revelatio, et prophetia. Quo manifeste confundit creatorem cum creatura, legem naturae in creatura, cum ipsis decretis divinis in DEO, et DEVS pars hominis esse statuitur ita, ut homo extra DEVM merum brutum constituatur, imo cum totius naturae pars sit DEVS,

DEVS, omnem quoque creaturam per ipsum DEVM, tanquam partem aliquam, essentiam suam habere. Quod vero noticia illa atque revelatio nequeat dici prophetia, facile patet; si 1) Spectes ipsam *Etymologiam cognitionis naturalis*, quae idem est, ac aliquid lumine naturae cognoscere; derivatur enim a natura: at revelatio prophetica idem audit, ac incognitorum et captum humanum transcendentium mysteriorum clara pronuntiatio, futurorumque praedictio velamine quasi subducto, conf. Jer. XXVIII, 8, 9. Quodsi itaque cognitio naturalis captum humanum, neque transcendit, neque futura et mysteria revelat, non potest dici prophetia, et specialis divina, proprieque sic dicta revelatio. 2) Si spectes *causam efficientem*. Illius est Deus et naturae principia *simul* Rom. I. et c. II. hujus vero *solus* Deus est, appropriative, per quamdam Oeconomiam, Spiritus Sanctus 2. Petr. I, 21, cujus prophetia donum est 1. Cor. XII, 10, 11. Act. II, 16, 17, 18. non excluso Patre, Ebr. I. v. 1. et Filio, Joh. I, 18. Si vero quaedam per naturam cognosci possunt, etiamsi hic et nunc ab hoc et illo non cognoscantur, tum non statim prophetiae et revelationes, sed solum indagines rerum obscurarum sunt dicendae, humanas prudentiae limites non excedentes; 3) Si spectes *objectum*; Quod equidem qua *Generalem* est Deus, et quaedam ejus attributa, sed tantum indistincte, et ex principis naturae nota; Hujus vero, sunt res quaecunque divinae, et mysteria divina naturae *absolute* incognita. 4) Si spectes *subjectum*, in quod cadant. Cognitionis enim naturalis est *quilibet homo*, recta ratione utens, seu Judaeus, seu Turca, seu gentilis, seu Christianus fuerit: Hujus revelationis nempe specialis, subjectum *solus* homo est Spiritu DEI donatus II. Petr. I, 21. isque ut Deum amans ita a Deo amatus Joh. XIV, 21, c. XV, 15. Et ad hoc, ut praeditus sit vero dono prophetico atque revelationis divinae, requiritur ordinarie, ut sit verae Ecclesiae membrum vel fide vel professione. Nam, ut reliqua dona et charismata Spiritus S. Ecclesiae pmoeria non excedunt, ita nec revelationis et prophetiae donum 1. Cor. XII, 10. Joel. II, 28. Ad

2) Resp. Non sequitur, quod, cum utraque, et naturalis et supernaturalis, revelatio a DEO, ceu uno eodemque principio primo sit, ea de causa etiam uno et eodem nomine venire, nec gradu, quantitate, qualitate et dignitate debeant distingui. Do instantiam: omnes creaturae a DEO, ceu suo unico principio et creatore sunt: Ergone omnes eodem modo locoque sunt habendae? Absurdum. Nam et boni et mali Angeli a DEO creati, nec tamen, vel boni mali, vel mali boni, eodemque loco considerandi sunt. Quare probe distinguendum esse puto in-

ter revelationem, et inter modum communicandi eam, qui quidem est diversissimus. Cognitio enim naturalis a DEO homini communicatur per vires ipsi concreatas naturales, animam rationalem, ejusque facultatem, ut supra ostendimus. At illa supernaturalis cognitio datur et communicatur, seu per revelationem, seu per prophetiam, ut ex parte hominis sit mera impressio et receptio, non vero ipsi accedat, per cooperationem, per vires naturales, ut ipse vult. Quamobrem cognitio illa, per revelationem hausta, certitudine gaudet infallibili, at vero, cognitionis naturalis certitudo, quia dependet ex viribus humanis corruptis, est quidem certitudo in suo genere, sed non infallibilis. Ad

3.) Respondetur, negando α) quia omnis revelatio specialis debet esse solum a voluntate infallibili revelantis juxta II. Pet. I, 21. A qui omnis imaginandi humana facultas, ut sit vividior, est fallax: qua propter revelationis causa esse non potest. Negatur β) quia objectum revelationis non solum in se continet principia naturae nota, sed etiam mysteria captum rationis transgredientia. At nostra imaginatio, quanta quanta fuerit, humani quid patitur, nec quisquam mortalium novit ea per se, quae sunt DEI, nisi spiritus DEI. Ergo. Huc accedit γ) quod illa donum gratiae divinae, non naturae, sit, proveniens ex immediato Spiritus S. impulsu et inspiratione, ut supra ostendimus. δ) Quia vis illa Imaginationis omnis periculi et seductionis experta nequam est, quod videre est etiam in statu instituto in Adamo et Eva, sibi imaginantes, neglecta sua primitiva rectitudine, excellentiam quandam et supereminentiam, similem divinae. At, revelatio specialis sine errore, sine periculo, utpote norma regulaque fidei et vitae, esse et constare debet. Quomodo vero illa, per imaginationem facta, omnis lapsus experta esse potest, si ipsius principium labe non caret. ε) Quia non statim vividior imaginandi facultas ipsam revelationem, aut ejus causam, efficit, sed saltem quandam, cum delectatione sensuum Intellectus conjunctam, per ideas varias, atque de objecto suo delectabili, intellectui facta, repraesentationem. Confer omnino B. D. NEUMANNI supra cum laude citat. *Theolog. Aphor. Aphor. XVI. de Revelatione*, p. 130. Si vero illa esset revelationis prophetiaeque causa, tum omnes hac praediti essent Prophetae, quod absurdum.

Ad 4) Resp. Falsissimum est, eos solummodo ex lumine naturae scripsisse. Nam Luc. I, 3. expresse dicitur Lucam omnia, non ex lumine naturae, sed ἀνωθεν, ε̄ supernis percepisse, quod confirmat CHRISTUS Math. X, 19, 20. *Non, ait, vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri is est; qui loquitur in vobis.*

At,

At, dicit ille, ipsi faciunt discursus et ratiocinantur, Paulus enim Rom. III, 28. scribit: λογισμός. *iv*: Concludimus igitur. Resp. distinguendum est inter *rationis magisterium*, et inter ejus *ministerium*, itemque inter ratiocinationem *ex viribus*, *naturae*, et ratiocinationem *ex viribus gratiae*. Licet Apostoli fuerint ratiocinati, tamen rationis non magisterium, quippe quam ipsi jubent captivare sub fidei obsequium, sed solum ministerium permiserunt, non ex viribus nativis, sed dativis ratiocinantes.

§. VI

Huc omnino quoque referendus est AMMONIUS in *Lib. de Oracul. Tom. II. Opp. p. 196, edit. Basil. An. 1574 in Fol.* qui, menti humanae fatidicam inesse facultatem, rerumque futurarum revelationem, contendit, omnem hac falsa ὑποθέσει divinam revelationem pessundaturus. Argumenta ejus desumpta sunt I. EX COLLATIONE PRAETERITORUM CUM FUTURIS: *Ut, inquit, difficile est, memoria revolvare praeterita, ita aequae difficile est, futurorum praesagium. Atque, cum haec ipsa praeteritorum memoria sine haesitatione naturalis sit, itaque eandem futurorum praenotionem, licet non sint, sed erunt, hauriri posse naturaliter. Quod enim praeteritorum, quae non sunt amplius, recordamur, ex eo est, quod species quaedam seu rerum figurae menti naturaliter obversentur, ex quarum conjunctione et juncturarum applicatione, ad certum tempus ac seriem, memoriae ope, redit mens in cognitionem rerum, quae olim gestae sunt. Eaedem autem species perinde ad futura prospicienda inservire possunt. Vix enim fieri potest, ut aliquid posteris seculis accidat ita inusitatum, ut non per eas, quas nunc in animo habemus, species exprimi possit, modo mens species eas componere norit, ut ex iis apta unius de altero praedicatio atque enunciatio, futuro post eventui congruens, fiat, constituatur.*

II. EX NATURA ET INDOLE PROPHETIAE, quae se, ut ipsi cum reliquis videtur, non tantum ad praeterita, praesentia, sed etiam ad futura, extendat, juxta illud Virgilii de Proteo: *Novit namque omnia Vates, Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trabantur.*

III. AB EXPERIENTIA: Quia complures, morti proximi sunt vaticinati. Quas fatidicas facultates, observante, ex PLUTARCHO, PETRO PETITO, putat, non demum post discessum e corpore animam recipere, sed eas jam ante possidere reconditas, corporisque contagione impeditas, quae sese demum exerat, cum resolvi incipiat, minusque membrorum caducorum humaporumve sarcina prematur.

IV.

IV. EX INNATA OMNIBUS CUPIDITATE COGNOSCENDI, quae sibi eventura sint. *Vnde intelligi posse arbitratur, futuri notitiam naturaliter supra hominis captum haud esse, sed posse, saltem in nonnullis, naturae appetitum expleri.* Alioqui frustra innatus nobis esset, cum tamen Deus et natura nihil faciant frustra.

§. VII.

Ad I. Resp. negando. Nam 1) distat notitia praeteritorum a praesagiis futurorum. De notis enim praeteritis, perpetuo quodam nexu colligatis eventumque comprobatis, memoria sibi ideas atque notiones formare potest. Illa enim, pro objecto, ad stipulantibus Philosophis, res tantummodo praesentes atque praeteritas, futuras vero nunquam habet. Non entis itaque, ut futurum ratione memoriae, nondum existentis, scientia est nulla. Et, si philosophari licet, omnis notitia hominum requirit rerum conceptus, et in intellectu ideas. Cum vero futurorum, ut contingentium, atque ex solo diviniore fato pendentium, ideis destituti simus, quomodo fieri modo possit, ut eorum quis notitiam adipiscatur? Saltem vero certum aliquod signum atque indicium adesse debet, quod de futuris contingentibus dari nullum potest. 2] Concedimus, praeteritorum naturalium notitiam esse naturalem, sed, num futurorum quoque sit naturalis ex ratione utique firmiori probandum erat. Illud equidem inficiari nolim, posse aliquando fieri, ut ex antecedentibus quibusdam signis rerumque indicis, viri egregio ingenii acumine praediti, de eventu futuro quaedam augurari naturaliter possint, sed an non prudentiae humanae metas excedant, et haud raro magis conjectura prudentum et persuasio, quam sententia fatidica, salutanda sit, multis ipse de causis nego. Nam, (I) per certam futurorum notitiam Deus divinam majestatem suam astruxit, sibi eam soli vindicaturus, Jes. XLI, 26. XLIV. 6, 7. Illa vera stante hypothese, omnis divinam majestatem asserendi nervus elideretur. Atque haec quidem eo minus placent, quo magis 2) Causam efficientem respicio, quae est Spiritus S. uti supra monui contra Spinozam. §. 5. p. 15. Disputatur, quod obiter saltem assero, inter eruditos, *An Diabolus et mali genii revelare futura et vaticinari possint?* Negabunt hoc omnes illi, qui communem cum D. BALTH. BECKERO habent causam et dicunt: *nullam operationem in hoc mundo Diabolo esse*, quos pluribus recenset B. D. GRAPPIUS in *Theolog. Recens. Controv. P. II. C. III. de Angelis Quaes. IX. p. 80 sqq.* Vbi bene notandum futurorum revelationem a malis genis haud raro factam, pro diversitate et cognoscendi modo, considerandam esse. *Velenim*

ex causis naturalibus secundis, sibi mutuo subordinatis, hauriri potest, *vel* ex ipsius DEI per Angelos facta manifestatione. Neutro horum modo denegandam ipsis, puto. Non *priori* modo, *tum* ob ingenii subtilitatem, qua conii-
 cit ex praeparatione causarum aliarumque, quae ad gerendum aliquid debent concurrere, id esse futurum, *tum* ob solertem, tot millium annorum spatio, experientiam comprobata, *tum* per observatam ab aliis, Spiritu DEI actis, hominibus intelligentiam, qua novit interpretari quaedam Sacri Codicis vaticinia, quorum eventus adhuc incogniti sunt, eamque interpretationem suis mancipiis suggerere, ac si nova quaedam esset prophetia, qualis tamen non est, sed interpretatio prophetiae divinae. Qua ratione, dubitandum non est, Diabolum, ex vaticiniis Apocalypticis, de futuris in orbe et Ecclesia eventibus multa callere, quae, quoniam necessaria nobis ad salutem non sunt, non quivis SScripturarum interpret assequitur. *Tum* quoque, ob incomparabilem sui motus celeritatem, qua in longinquis locis, remotisque mundi regionibus geruntur, quaeque tanquam futura ad homines, longissime etiam absentes defert. Proprie enim non sunt futura, sed praesentia, futura tamen aliquo modo ratione temporis et notitiae dicere possumus. *Tum* quoque, ob accuratam observantiam, clandestinorum consiliorum, verborum, scriptorum, signorum, quae in corpore, tam exterius, quam interius, apparent, occultas hominum cogitationes et deliberationes praesentes, futurasque, solertissime conjectando, cognitae habere potest. Habet enim perfectam rerum omnium naturalium scientiam, callidissimusque et sagacissimus est ad praesentiendum ac praenoscendum futura. Sed haec physica revelatio nequaquam titulo prophetiae, et proprie sic dictae revelationis, est insignienda, verum alicujus indaginis rei obscurae, licet eiusmodi res huic, vel alteri, non pateant. *Neque vero posteriore modo* revelatio divina ipsi est deneganda, uti videre est ex *1. Sam. XXVIII, 19*. Quae tamen praenunciatio proprie revelatio non erat prophetica, sed nihil aliud, quam denunciatio imminentis poenae, quam Deus pridem minatus fuerat. Extra hos vero duos modos nihil de rebus futuris callent, sed fallunt, ob sequentes rationes: *Quia* 1) multae actiones adhuc ex libero arbitrio hominis pendent, cuius cum ipse ejus arbiter non sit, ejus determinationem ad finem ignorat, adeoque de actionibus ejus certum quid praedicere nequit. Est enim illud admodum mutabile, et flexile ad omnia, liberumque, nonnunquam extraordinaria quadam operans ratione. *Neque* 2) insolitum est, quod nos saepe, divinitus incitati, DEIque adjuti gratia, contra faciamus, quam ante constitueramus. *Huc* 3) accedit,

accedit, ut, quod Satanas agere instituerat, praedixeratque, prohibente DEO, et impediante, exequi non possit. Et 4) multa Deus solet aliquando, praeter communem ordinem naturae, praeterque generalem suam et ordinariam providentiam, disponere. Ex quo patet, ipsum praedicere omnia certo non posse. Quod erat demonstrandum. *Conf. ex Antiquis PP. D. AUGUSTINUS de Civitate DEI Lib. IX, c. 22. l. 4. de Trinit. c. II, Lib. II. de Genesi ad literam c. 17. CHRYSOSTOMUS, vel quicumque auctor sit operis Imperf. in Matth. Hom. XIX. DAMASCENUS de O. F. Lib. II. c. 4. Ex recentioribus BENED. PERERIIUS, Valent. adversus fallaces et superstitiosas artes, Lib. III. c. 1, §. 3, et c. V, n. 35. Opp. fol. 275. 288. C. PEUCERUS, de praecipuis divinationum Generibus, p. 24, seq. QUENST. Syst. Theol. P. I. C. XI. Sect. II. fol. 466. FRIDEM. BECHMANNUS, Theol. Polem. Loc. VI. P. I, p. 367 sqq.*

Sive 2. respiciamus proprium prophetiae *subiectum*, quod non est homo animalis, sed Spiritu DEI actus, II Petr. I, 21. Vnde abominanda est audacia CORN. a LAPIDE in Prooem. in Prophetas fol. 8. et SIXTI SENENSIS, Lib. II. Bibl. in voce Sibylla, qui Sibyllas, seu Sibyllam, (sunt enim, qui negent, plures hujus nominis extitisse, immo ulla, cum quibus non est disputandi animus nobis, quibus perinde est, velit quis unam, an plures, an nullam, statuere, vid. COLBERGIUS in Platonisch-Hermetischen Christenthum/ P. I. p. 108, sqq.) veras DEI prophetissas, vatesque DEO plenas, dixerunt, quas tamen AUGUSTINUS Lib. XII. Genes. ad lit. c. XIX, ad Gentilium, non ad DEI, prophetissas refert, quod ante eum fecit LACTANTIUS Instit. Lib. I, c. VI, v. 6. sqq. p. 20 sqq. edit. CELLAR. Lips. 1698. in 8. ubi Poetis Philosophisque aequiparat. Sunt equidem PP. quidam Graeci, qui primo intuitu, plurimum autoritatis carminibus istis tribuere videntur, ex quibus sunt, CLEMENS ALEXANDRINUS Strom. Lib. VI. et JUSTINUS MARTYR in Paraen. ad gentes. Quanquam vero pii PP. ab omni omnino culpa absolvi non possunt, tamen quatenus finem habebant bonum, demonstrandi veritatem Religionis Christianae, ad avertendos Gentilium a superstitione animos, ostendendumque, ipsos inter Graecos, atque Latinos, oracula, de adventu et deitate Christi extitisse, quodammodo excusari merentur. Vnde D. HIERONYMUS Lib. XIII, c. 15, contra FAUSTUM, MANICHAEUM, Sibylla, inquit, I. Sibyllae, et Orpheus, et nescio quis Homerus (vide, quos iungat vates) et, si qui alii vates, vel Theologi, vel sapientes, vel Philosophi, gentilium, de Filio DEI, aut DEO Patre, vera praedixisse, vel dixisse, perhibentur, valet quidem aliquid, ad paganorum vanitatem revincendam, non tamen

tamen ad istorum auctoritatem amplectendam, cum, illum DEum nos colere, ostenderimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos congentiles populos, idola et daemonia colenda, partim suadere ausi sunt, partim prohibere non ausi sunt. Non defuerunt quidem ex modernis Criticis, qui, horum PP. auctoritate allekti, veras prophetissas dixerunt. Quod exemplo patet CELEB. ISAACI VOSSII, qui in *Comment. de Sibyllis* c. VII, ait: *Haud parum utilitatis Christianae accederet religioni, si etiamnum superessent illa Apocrypha, (sc. Sibyllarum) quae V. T. olim conjungebantur libris, cum et approbata fuerint a Judaeis, antequam essent Christiani, et lecta in primitiva Ecclesia, et commendata a Paulo et Apostolis, qui et testimonia, ex illis petita, scriptis suis inseruere. Apud Paulum quidem complura occurrunt loca ex illis deprompta. Et paulo post. Eadem historia paribus fere, ac Apostolus, verbis memoratur, (quae est II Petr. II, 4) in oraculis Sibyll. Lib. I, ubi secundae ante diluuium aetatis hominum lapsus describitur. Ne tamen propterea sequitur, librum hunc ipso antiquiorem diluuii ab Enocho fuisse conscriptum. Absit, ut sic sentiamus, sed vero, ita omnino credimus, omnes istos, quos diximus, libros, vergentibus ad finem Danielis hebdomadibus, a Judaeis, toto orbe dispersis, fuisse conscriptos, NB. DEO implente ipsorum mentes, ad significandum gentibus Christi adventum. Sed mirum sit, si illa Sibyllarum Carmina fuerint pro canonicis habita, quum tamen nec JOSEPHUS, neque ullus fide dignus scriptor in canonicorum librorum enumeratione horum meminerint. Neque statim mentio alicujus libri vel scriptoris auctoritatem conciliat Canonis, sed immediata Spiritus S. Θεοπνευσία, quam hisce contigisse, non tam dici, quam probari debebat. Constat enim inter doctos, quanta, et prope cum superstitione conjuncta solertia fuerit Judaeorum in custodiendo Codice S. Vnde nulli dubium, eos, ex Codice S. quosdam libros extrudi, passuros non fuisse. Urget quidem Vossius exemplum Bileami, magi et incantatoris, ut ipse vult, toto oriente celeberrimi, qui tamen adeo manifeste futura Christi mysteria praedixerit, ut nullus propemodum Propetarum tam aperte de iis sit vaticinatus. Judaei igitur, ac quidam dediti Magicis superstitionibus, DEO NB. impellente horum magicis deditorum mentes, prophetarunt, consinxerantque ita per pias fraudes versus Orphei, Phocylidae, Hystaspis et Sibyllarum. Verum pio et Christiano lectori cogitandum relinquo, num de DEO, qui passim severissime prohibuit Magiam et idololatriam, dici possit, quod per instrumenta quasi diaboli luculentius adventum Messiae, et mysteria divina, quam per*

pios sanctosque homines illustraverit. Requiritur enim ad Prophetam verum, ut sit verae Ecclesiae membrum, vel fide, vel professione. Proprium enim Ecclesiae donum est prophetia, *1. Cor. XII, 10. Joel II, 28. Apoc. XIX, 10.* Quare exemplum Vossio obstat. Nondum enim probatum est, Bileamum, antequam a vero DEI cultu per avaritiam defecit, Ecclesiae verae societatem ne quidem professum fuisse. Contrarium patere nobis videtur 1) ex ipsius confessione, *Num. XXII. 18* ubi Jehovah Deum suum vocat; 2) ex consultatione, qui verum Deum, non idola, consuluerat. *v. 9, 20. 3)* ex inspiratione verborum Jehovahe in os Bileami, *c. XXII, 3, 9,* immo, quod Spiritus Jehovahae ei affuisse dicatur. Etiam *Caiphas* tamen formaliter non prophetavit, sed materialiter saltem verba ejus impulsu Spiritus S. prophetiam continuerint, professione tamen in Ecclesia fuit, *Joh. XI, 51.* Adeoque Pontificiis hoc concedimus, Prophetiam, et proprie sic dictam, non dari, nisi iis, qui sunt fide vel professione, in Ecclesia vera, ut non omnis rei futurae praedictio statim pro Prophetia haberi debeat. Quapropter ut redeat in viam, a qua discessit oratio, concludimus prophetiam non naturae, sed gratiae Dei donum esse.

Quod si 3) Objectum contemplor, neutiquam revelatio et divinatio naturalis esse potest. Illa enim, formaliter considerata, pro objecto habet mysteria, quae naturam supergrediuntur. Si

4) Ipsum ineffendi modum in subjecto suo respicio, Cognitionis naturalis modus ineffendi perpetuus est et immanens; at in prophetis est habitus transiens. Iam si futurorum notitia prophetica foret naturalis, immanens et perpetua, tam diu duraret quoad subjecti natura stare. Cui sententiae exemplum refragatur, *LXX Seniorum Num. XI, 25.* *Elisaeus* vero Spiritum propheticum etiam cithara excitasse *II Reg. III,* dicitur.

Neque 3) capere possum, quod dicit, easdem praeteritorum species, inservire posse futuris, cum divinatio sive prophetia sit ignotorum futurorum, de quibus nemo quisquam sibi rerum, quas nosse soli Numini datum est, quaeque ab ipsius arcana profundissimaque providentia dependent, formare species potest, cum natura nos earum, et nexus lateat. Neque sufficit, quod rerum quarundam ideas, per operationem mentis, *vite componimus,* sed insimul requiritur, ut illae res aliquando certo sint extiturae, quum, quae nec sunt, nec unquam futurae sunt, componi ac connecti non possint. *Sane,* ut cum *H. WITSIO l. c. p. 56.* totam rem eloquar: *Omnis eorum nexus latet in abdito fatorum, quo penetrare mens nostra per sese potis non est. Non esse admodum*

admodum difficile, in memoriam revocare res, quas pridem, uti gestas novimus, et quarum nexum, dum extabant, habebamus, docet experientia. Sed ex simplicibus rerum ideis, formare nexum rerum futurarum, qui nexus pendet a serie causarum impenetrabili, id humanae menti prorsus ἀνεπίστος est. Haec ille. Secundum dissentientis argumentum responsum nullam meretur.

Ad III. Resp. Falsum est, morti vicinos ex insita facultate mentis fuisse vaticinatos. Cum enim primum sese anima corporis vinculis liberare incipit, tum quoque illa, arctiore gratiae gloriaeque coelestis nexu, et propiore cum DEO jungitur communiōe ut, illa luce vere divina quodammodo collustrata, capax reddatur, ad significandum, siue Ecclesiae, siue Politiae, futurum statum. Quare ipsi adhuc demonstrandum est, cuius et regenito et irregenito eam contigisse. Jacobi exemplum thesin potius meam adstruit, quam destruit, immo ipsi penitus est adversum. De ipso enim Scriptura testatur, *fuisse eum virum DEO complacentem*, quod requiritur ad subjectum fatidicum, uti supra pluribus demonstravi. Ceterum, quod ad Improbos spectat, erudite Jo. HENR. HEIDEGGERUS *Hist. Patr. Tom. II. Exerc. XXIII. p. 705* iudicat: *Temere eos aliquid sibi finxisse, Spiritu DEI destitutos, et a Satana, eludente hac ratione ac elevante, quae noverat a DEO in sanctis viris fuisse facta, misere fuisse deceptos.*

Ad IV. Resp. Curiositatem illam, nimiamque futuros eventus cognoscendi cupiditatem omnibus fere, moraliter corruptis et post lapsum depravatis, innatam esse, libenter concedo, sed, num inde firmiter colligere liceat, hinc intelligi posse, *non esse futuri notitiam naturaliter supra hominis captum, sed, posse, saltem in nonnullis, expleri naturae appetitum*, dubito valde. Nondum enim ullo modo percipere adhuc valeo, qui cupiditas futura cognoscendi causam ejus juvare queat. Quod si haec ratiocinatio quicquam valeret, tum et illa esset firma: Omnes fere gloriae divitiarumque sunt cupidissimi, E. omnes illi gloriosi et divites evadent. Absurdum. Immo haec ipsa, de qua agimus, materia consecutionem infringit. Quis enim non cupidus est nosse futura, imprimis, quae sibi met accidere possunt? Num vero etiam hac sua cupiditate, quid sibi boni, malive impendat, providebit? Verum quidem est, naturam nihil facere frustra, sed, num illa sit a natura in se spectata, cupiditas, et non potius ex vitio adhaerente orta, disputari posset. Utcunque res se habeat, nondum liquet, eidem posse satisfieri, cum non a natura, sed a fati Rectore, omnis fati futuri praesagium dependeat, ut supra dictum.

§. VIII

Dimisso AMMONIO, ad ipsum PETRUM PETITVM, Philosophum et Medicum quondam Parisiensem, dexterrimum sane AMMONII interpretem, me confero. Hic, Lib. I, de Sibyllis, c. VIII, p. 30 sq. ab ipso quidem AMMONIO discedit, negans, naturam esse primam revelationis et prophetiae causam, at illam tamen *disponi* posse ad recipiendam prophetiam a causis secundis, cum PETRO POMPONATIO asserit. Censet vero, plurimum huc conferre

I. *Excellentem animi indolem, magnitudinemque*, qua qui praediti sint, eos sicut ferrum ad magnetem, ita ad divinorum contemplationem abripi.

II. *Temperamentum Melancholicum*, quod ipsum autoritate non solum ARISTOTELIS, sed aliorum quoque exemplis, *Mosis* nominatim, et *Eliae* probare conatur. De *Mose* quidem, ex eo, quod solitudini studuerit, unde et in agris *Jethronis*, foci sui, ovibus pascendis vacaverit. Tum ex *βραδυλογία καὶ ἰσχυροφωνία*, sive minus expedito sermone, ob linguae haesitationem, quod vitium commune sit melancholicis. Tum quod XL. dies absque cibo permanserit incolumis in monte *Sinai*. Tametsi enim, divina virtute sustentatum fuisse, facile credat, non tamen omnino negandum, existimat, quin aliquid fuerit in corpore ejus, quo ad tam longi jejunii patientiam, naturali quadam vi fuerit adjutus. *Eliam* vero insigniter fuisse Melancholicum, probat, tam ex moribus ejus et *ὀρεβάσιαις*, quippe qui in locis ab humano commercio remotis, ignotis scilicet montibus, et juxta torrentes libenter *moratus* fuerit, quam ex corporis habitu durioris juxta II. Reg. I, 8, Quae omnia melancholici temperamenti esse indicia putat.

III. *Coelum ipsum siderumque positum c. XIII. l. c.* Quae omnia tantae sint potestatis, ut hominem, alias nulla ingenii ad vaticinandum facultate polentem, ad eam disponant, suaviter ita DEO, naturae omnis auctore, ut cetera, ita et haec ordinante, vimque suam hominum naturis libenter accommodante. Magnam quippe coelo vim inesse, probabili posse ratione ostendi. Nam ex astrorum positu influxuque mores hominum concinnari, tum et miras naturis hominum singularium innasci virtutes, quod cum ipso Philosophi non infimi fateantur. Quod si itaque haec ab astris proveniant, cur non et divinatio. Perneget tamen, se se hanc veluti principalem hujus causam statueret, cum CARDANO, sed cum PETRO POMPONATIO tantum praeparationem.

IV.

IV, *Subterranei halitus* haustum, quo mens ad facultatem fatidicam disponatur, quam et c. XIV, per exempla illustrat. Et addit, quam ratione illa in antris commoratio animum ad vaticinia edenda disponere valeat: scilicet solitudine illa, ac silentio, tenebrisque, animos non parum attolli, atque ali. Cumque ad ipsam terrae expirationem devenit, dicit, vim quandam speluncis, atque antris inesse fatidicam, succum melancholicum ingerentem.

§. IX.

Sed ad potiora breviter respondebo. Et quidem quod Ad I. attinet, falsum est, praestantem mentis indolem ingeniique acumen, sive sublimitatem, primam naturalium ad prophetiam dispositionum esse causam. Fluit enim ex falsa ipsius hypotesi, qua putat, praeparationem aliquam corporis, sive dispositionem physicam, necessario praerquiri, quo ipso, quod erat in principio, petit. Pessime 2] confundit causam primam cum secundis, modum cognoscendi physicum, cum *ὑπερφυσικῶν*, et quod DEI est, creaturis, secundisque causis ascribit. Nam futurorum revelatio, et prophetia, donum est gratiae Benignissimi DEI, quam meminisse debuisset, tanquam primam ejus causam per Spiritum S. ob meritum Christi impertiri solitam, illis, quibus gratia hac sua liberrimae voluntatis DEVS adesse dignatur, sive aliis sint sagaciores, mentisque acumine praestantiores, sive minus. Suam enim DEVS gratiam dispensat, non secundum respectum personae prudentis, sed secundum actum beneplacitae voluntatis suae. Quare et factum est, ut aliquando Paulum, multa doctrina subactum, aliquando Petrum, reti solum piscatorio asuetum, aliquando Pastores, ut, Davidem, Amosum et alios, dono prophetico exornarit. Vnde DN. D. BUDDEUS in *disp. Philosoph. ad Quaestionem, Utrum naturali homines polleant vaticinandi facultate?* bene hanc in sententiam respondet, §. 24. *nulla ratione demonstrari potest, DEVM, ut in caeteris effectibus naturalibus producendis, ita hic quoque, in futurorum indicatione, aut quibusvis revelationibus, certis se astrinxisse legibus.* Si Ergo DEUS nullas sibi ipsi praescripsit leges; quid obstiterit, quo minus homini, sanguineo gaudenti temperamento, non aequae facile revelare quid *ἀμείσως* potuisset, quam atra bile abundantanti? Imo, si vel maxime de hoc, illove, aliquam prophetiae *opportunitatem* fingere velimus, illa tamen ad prophetiam ipsam obtinendam nil contulit, quum DEUS in ea dilargienda nullius ingenii vel temperamenti rationem habuerit, et solo *Θεοπνευσίας* beneficio rem omnem confecerit.

Ad II.

Ad II. Respond. negando. Nam etsi temperamentum MELANCHOLICUM non parum conferre existimetur, ad res menti objectas profundius rimandas, perinde tamen non valet Consequentia: Ergo melancholia est quaedam ad revelanda arcana futuraque contingentia praevidenda praeparatio atque facultas. Immo, si ita esset, tum non essent Prophetae, qui hoc destituerentur, propterea, quod, secundum PETITUM, temperamentum requiritur melancholicum, et, quod majus est, DEUS, lege quasi, attrictus esset, ut donum hocce propheticum non aliis, posset largiri, quam iis, quos nosset *per naturam* esse ad prophetiam dispositos, talique ratione tandem DEUS non amplius foret liberimus gratiae suae dispensator, sed coactus. Denique, si PETITUS noster, ut facit, nimia ARISTOTELIS sui auctoritate abreptus, dispositionem ad prophetandum, in melancholia ponit, quid de Davide, Salomone aliisque, dicet? Quos equidem Melancholicos fuisse affirmari vix potest? Scio Cacodaemonem aliquando melancholico temperamento, permittente DEO, ad edenda vaticinia abuti: Ordinarie vero per id homines ad concipiendum prophetiae donum disponi, hoc est quod nego. Nec illud quoque simpliciter concesserim, MOSEN fuisse, *Melancholicum*, quin potius temperamento eum *sanguineo* fuisse apparet. *Primo* enim non semper in solitudine vixit, sed ab ineunte aetate in Aula, et rerum luce, versatus fuit. Praebuit etiam *Neinceps* animi non dejecti, aut timidi, sed magni et crecti specimina, quod ejus ex historia constat. Neque *βραδυλωσσία* infallibiliter melancholicum arguit, cum vitium hoc eorum quoque esse soleat, in quibus et sanguis et pituita praedominatur. Denique injurius est, in DEI potentiam, qui statuit, ob ejusmodi potius temperamentum, tam diuturnum jejunium tolerasse MOSEN, quam virtute adjutum divina. Sed neque ELIAM his rationibus evincet, melancholicum fuisse. Quid? si dicam, solitudines eum, montes, torrentes, vias devias et hominum itu redituque vacuas, eam ob rem adamasse, ut sine impedimento meditationibus suis indulgere posset iis in locis, quae ad id ipsum institutum quasi a natura facta sunt? Imo vero id fecisse ELIAM jussu divino patet ex 1. Reg. XVII, 3, c. XIX, 3, 4. sine furore ullo, sine ulla bilis atrae exundatione. POSTREMO constat piloso Vates divinos amictu fuisse usos Zach. XIII, 4. quod idem et Joannis Praeursoris exemplum comprobatur, ex quo tamen stultissimum foret, colligere velle, Joannem, aut alios, fuisse melancholicos, aut omnes ac singulos tali amictu qui usi fuerint, prophetas.

Ad III. Respondebimus, cum devenerimus ad PETRUM POMPONATIUM ex quo

quo PETITUS ea videtur hausisse, vid. §. 9. 10. Quartum vix confutatione dignum est. Utut enim, subterraneorum haustus effluviolorum vaporumque cerebrum mirifice, ob succum suum, afficiant, animumque silentio, et leni quadam, blandaque aura deliniant, nihil tamen, nisi hoc, inde sequitur, hac solitudine, otioque animum induci, quo lucubrationibus suis profundius inhaerere possit, ac alibi locorum, ubi animus, variis rerum spectaculis huc illucve distractus, impeditur. Quod si vero solitudo talis, et otium, causa, et praeparatio quaedam ad vaticinandum esset, tum tantus eorum solitariorum, et umbraticorum, et Eremitarum ac Prophetarum emerfurus erat numerus, quantus vix PETITI cerebro, sine ejus perturbatione, comprehendi posset. Animum afficere ita, ut vaticinia edere possit, nego, delectari tamen his, concedo. Quis autem unquam probabit, Prophetas ex *antris* prophetias suas protulisse? Pythonicorum hoc fuit, non divinatorum Prophetarum. Ef. XXIX, 4, c. VIII, 19.

§. IX.

Extremo loco ponimus PETR. POMPONATIUM, Philosophum et Theologum, immo Mataeologum, Mantuanum, cujus opera GUILIELMUS GRATAROLUS BERGOMAS, Medicus et Philosophus Basileensis A. 1567. Basileae in 8. et primus, et primum edidit. Is autem PETRUS POMPONATIUS Libro *De Incantationibus*, c. X. docuit, omnes praedictiones esse ex operatione corporum coelestium factas. Cujus verba ob raritatem libri et caritatem *αυτολεξεί* transcribere hic placet. *Verum*, inquit, p. m. 121, 122, *corpora coelestia non solum sic dirigunt homines, verum etiam manifesta indicia futurorum eventuum dant hominibus, modo in somniis, modo in vigiliis, secundum apparitionem diversarum figurarum. Idem p. 123. Neque ex horum peritiis tantum sciuntur futura, verum et praesentia, et praeterita, ex quibus concluditur, omnem effectum hic inferius, aut per se, aut per accidens, reduci ad coelum, et ex peritiis corporum coelestium miranda et stupenda posse cognosci, et praenuntiari. Item p. 135. ubi cum difficultatem omnem de responsis divinis removere capit, num sint immediata nec ne, negat fieri p. 133. ex autoritate ARISTOTELIS, quem multa admiratione prosequitur, immediate, quia non agat DEUS, sine aliquo agente intermedio, adeoque immediate responsa divina non fieri a DEO. Similitudine illud probat: *Veluti, ait, oculus debilis non potest in nocte intueri solem, sed tantum solem inspicit in lumine debili, sic effectus inferior immediate non fit a DEO super nos, sed tantum mediantibus ejus ministris; Omnia enim Deus ordinat et disponit ordinate et suaviter, legemque aeternam rebus indidit, quam praeterire impossibile est, p. 139. Ratio-**

D

nabi-

nabilius esse dicendum secundum suppositiones datas, tales vates habere hoc in genere causae efficientis ex dispositione corporum coelestium, cujus apertum argumentum, quod Mathematici videntes, horum genituram praedicunt ex sideribus, istos in prophetas et vates evasuros. Mox dicit, oriri ex materiali aliqua quoque causa, sc. melancholia, p. 140. Tales enim, inquit, vates habent causam materiale, quoniam dispositionem. Sunt enim, ut dicitur Sect. 30. ARISTOT. Probl. melancholici, sine curis, veluti amentes coestatici, dumque vaticinantur, bacchantur et furiunt. Et p. 141. atrae bili causam ascribit, quae purgata, nihil amplius illi hac praediti talia mirabilia faciant. Pag. 163. postquam adstruere laboravit in antecedentibus, in somnio per somnium fieri revelationes, tanquam causam eorum materiale, pergit et dicit: *Veluti enim corpora coelestia in quiete s. somno insigere possunt in humana anima haec simulacra, sic et in vigilia, et maxime, si tales homines sint a curis humanis absoluti, et a perturbationibus mentis, et tunc prophetare multa possunt vera.* Et p. 226. discrete affirmat, *Elisaeum ex natura prophetam fuisse.* De caeteris POMPONATI hypothesebus vid. D. D. COLLECTORES DER Unschuldigen Nachrichten A. 1701, p. 52.

§. X.

Corporibus coelestibus ad influendum in haec inferiora magnam inesse vim, ajunt multi, multi negant. Illorum quidam, cum nostro POMPONATIO, non modo ingenium, honores, fortunas, pluvias, futura contingentia, ipsam denique prophetiam, et quicquid vel prodest homini, vel obest, hinc praesagiri posse, et dependere, contendunt. Horum vero plurimi sententiam hanc, tanquam futilem, stolidamque repudiare malunt. In eo tamen, nisi fallor omnino, plurimi illorum conveniunt, quatuor potissimum ea modis influere, 1) per calorem, 2) lumen, 3) motum, 4) aspectum. Posito autem, eadem quatuor hisce modis influere in corpora haec inferiora, tamen mihi persuadere non possum, quomodo per eos modos menti possint largiri influxum, vimque, ac efficaciam futura contingentia praesciendi, et praedicendi. Illa enim dicuntur corporea, et sunt, ideoque in animum, tanquam spiritum, omnis materiae, et potentiae passivae recipiendae expertem, agere non valent. Nec corpora coelestia, sed voluntas humana, respectu futurorum, quae ex ipsa proficisci debent, causa proxima est actionum humanarum. Quomodo ergo has illa dirigere, aut definitam, certamque futuri effectus cognitionem comparare nobis possunt, cum nullus inter corporum coelestium vim, et effectus futuros, nexus appareat. Nam adhuc in abdito cordis

dis latent, quod inspicere nemini, praeterquam καρδιογνώση licet. Ceterum putaram, nosmetipsos actionum nostrarum esse dominos, non corpora coelestia? Sed si nostrae ab his dirigantur, imperium hocce amittimus omnino. Vnde adulter habebit excusationis causam, et Veneris positum jure accusabit, non suam ipse, ad omne libidinis impurae genus pronam, voluntatem. Homicida pariter causam nanciscetur in Martem culpam conjiciendi omnem. Justus, non DEUM, sed Jovem, autorem justae suae causae, agnoscet, harumque stellarum quisque malorum facultatem obsequendi necessitatem inferentium, obtendet. Immo, cum ita haec arriserint, persuasum his hominibus quoque debet esse, omnes actiones malas, non voluntatis libertati, sed coeli dispositioni, et, post causas secundas, ob subordinationem, ipsi causae primae, DEO, velut auctori peccatorum, ascribendas esse. Verum quidem est, DEUM suaviter omnia ordinasse, sed, num corpora coelestia ordinavit ad futura cognoscendum et vaticinandum, valde dubito, cum ipse his alium ordinavit finem, *ad distingvendam videlicet diem, et noctem, ut essent in signa et stata tempora, et in dies, et annos* Gen. I. 14. Unde et DEUS omnes divinatores deridet, Jes. XLVII, 12, 13. Eccl. VIII, 7, Prov. XXVII, 1. prorsusque omnis futuri scientia homini denegatur, et Jes. XLI, 23, XLIV, 7, se per certam sui manifestationem ab aliis Gentium Diis falsis distingvit DEUS. Multum praeterea multi scientiae huic judiciariae, nimirum astrologiae, tribuunt, ac fidunt, ejus beneficio futura quoque coniecturi. Sed, cum sanioribus, tum Theologis, tum Mathematicis ipsis, eam scientiam judico esse nullam. Omnis enim scientia atque notitia certum quoddam, et infallibile fundamentum, evidensque principium requirit. Hoc autem ipso isti homines destituuntur. Latet enim adhuc illos, quae natura sit coeli, quae magnitudo, quis orbium numerus, aut ordo, quae dignitatis differentia, motuum varietas, qui siderum numerus, eorumque inter se, ratione magnitudinis, lucis, efficaciae, influxus comparatio. Quonam igitur modo potest fieri certa futurorum a sensuum acie abstrusissimorum, praedictio, cum ignorent planiora et apertiora, quae unius saltem sensus, nempe visus, ope intuemur. Superiora saepe numero lustramus, ignari eorum, quae sub dio geruntur. Exponant prius occultas proprietates et vires, quas habent res illae sublunares, quas non oculorum solum visu, sed et pedibus manibusque contingimus, quatenus lapidibus, herbis, mineralibus, reliquisque animantibus, vis insit, ac facultas. Haec itaque cum proxima sint, atque nobis conjunctissima, cunctisque paene sensibus nostris pervia, quotidianisque experimentis pervestigari possint et explorari, planiorum intelligentiam et faciliorem habent explicatu, at ignoramus tamen. Quomodo

itaque cognoscemus vires, et effectus corporum coelestium, quae maximi sunt laboris ac difficultatis, ob tam longum eorum a nobis intervallum, quaeque non alio, quam unico oculo- rum, et ne hoc quidem fatis, sensu mortalibus pateant, quemque haud raro falli contingit, propter tantam intervalli longitudinem, velocissimum coeli rotatum, pravamque medii affe- ctionem, vel visus, vel propter vitium astrolabii, tabularum, et instrumentorum astronomi- corum. Idque vel unius exemplo PHIL. MELANCHTH. Astrologiae judiciariae studiosis- simi, comprobabo, quod extat in notis ad Thomae Godvini Mosen et Aaronem, Reitzii p. m. 417, ubi narrat, eundem aliquando *Cassellam a Landgrafio* esse vocatum, divertisseque ad DIONYS. MELANDRVM, Pastorem; cujus cum infantem in cunis vidisset, dixisse: *Ecce, ve- nustus puto. Tua pace, mi MELANDER, ex astris deducam ipsius fata*: Tandemque in haec verba erupisse: *Erit eruditissimus, et summa dignitate ornandus vir*; ridente MELANDRO, et dicente, DN. PHILIPPE, *puella est, puella est*. At denuo, puellam, ejusque natales ponde- rantem, dixisse, *septimo anno morietur filiola Tua*: quae autem anno septimo gravi quidem morbo afflicta, at decimo quarto demum anno, seu bis septimo, vita fuerit defuncta. At- que hanc nostram causam siderum videlicet vel exiguam duntaxat, vel nullam, esse vim, quotidiana experientia confirmat. Deprehendimus enim, haud raro nasci gemellos, sub uno eodemque siderum positu, oppido diversos, non temperamento solum, ut in Esavo atque Ja- cobo videre licet, sed etiam ratione sexus. Verum, unde discrepantia ista, si tantus est corporum in haec inferiora influxus? Huc accedit, quod, si ex dispositione corpo- rum coelestium suas ediderunt prophetias Prophetarum, etiam nunc hodie dari Prophetas et Prophetias necesse sit: quod est Fanaticum. Quae enim naturaliter fiunt, semper, vel in pluribus, fiunt, nisi absurde asserere malis, illa corpora, tanquam causas revelationis ef- ficientes, non amplius superesse. Denique haec ipsa POMPONATII sententia insignem offensam atque noxam Ecclesiae fideique Christianae infert, viamque expeditam ad ipsum Atheismum sternit. Nam et maxima probatio est fidei nostrae, et clarissimum divinae providentiae argumentum, quaecumque circa Christum, Dominum, et ejus Ecclesiam e- venerunt, ea, multis ante seculis, fuisse per Prophetas, viros illos Θεοπνευστος, ad unum om- nia plane, distincte, explicataeque praedicta. Cujusmodi praedictio si per corpora coe- lestia fieri posset, nullum prorsus fieret firmissimum hoc argumentum, hoc nostrae reli- gionis fundamentum, in revelatione divina innixum. Qui enim persuasi penitus sunt, om- nia ex rebus dependere coelestibus, ob idque cuncta hominum opera facta, casus et re- rum eventus, ex coeli positu corporumque coelestium rotatu praesentiri posse, his omni- no persuasum esse debet, materialem et mortalem esse animum, nullum esse liberum arbi- trium, nec talem esse providentiam DEI, qualem fides nostra docet, mysteria item incarnatio- nis, passionis, et omnium Christi miraculorum, a corporibus coelestibus pependisse, Chri- stumque, his urgentibus, universum redemptionis opus perfecisse, et perpetrasse omnia, ve- lut omnis divinae omnipotentiae expertem, umbrae stellarum subjectum filium, fato fideles ductos in Christum credere, non verbo, non sacramentis, non gratia Spiritus S. supernatura- li, illuminari, regenerari, sanctificari, rotatu coeli, decurrentibus recurrentibusque sideribus fidem rotari, nullumque hominum propter fidem in meritum Christi, fideique per bona o- pera exercitium, et bene aut male facta praemio poenae dignum censerem, nullumque oratio- nibus, nullum pietatis exercitiis esse locum, cuncta item miracula, in utroque codicis divini foedere edita, supernaturalia non esse, sed omnia ad coelestes causas et virtutes esse revo- canda. CAP.

CAP. II.
DE DEFINITIONE.

§. I.

OB varios revelationis divinae modos, ipsa quoque definitio varia sit, oportet. Animus autem in praesenti non est, omnem definire revelationem, prout et *generalem* illam includit, quae *naturalis* apud NOSTRATES audit, fundaturque Rom. I. 19. quae suo etiam modo est revelatio, etsi improprie tantum, et minus usitate, ac notione latiori. De hac enim in hac nostra commentatione non agimus; sed de divina, proprie sic dicta, magisque speciatim accepta, prout et immediatam, et mediatam includit.

§. II.

REVELATIO igitur est actio DEI, transiens, externa, qua modo quodam supernaturali, res omni naturae rationali ignotas, et recondita penitus atque abstrusa voluntatis suae arcana, quae de DEO, ejusque cultu et voluntate, homini salvando cognitu necessaria sunt, variis modis, per viros θεοπνεύστους, declaravit olim, et manifestavit, in aeternam Majestatis suae gloriam, hominumque salutem. **VEL**: Est actio DEI externa, transiens, qua sese, suamque voluntatem generi humano, varia, naturae tamen rationali abscondita, vel immediata, eaque et simplici, per immediatum quendam afflatum sacrumque Enthiasmum, et symbolica, qua externis et internis Phantasiae, tum vigilantium per ἐκστασι, tum dormientium per somnia, sensibus symbola objecit, vel mediata per Angelos, virosque θεοπνεύστους, ratione communicavit, et patefecit, in aeternam gloriam suam, et totius Ecclesiae salutem.

CAP. III.

Ipsam de variis revelationis divinae modis tractationem exhibens.

SECT. I. THETICA.

§. I.

Cum haud raro mali genii, eorumque mancipia, in DEI simis atque in

 D 3 Angelos

Angelos lucis se transforment, animum advertere debemus, monente *Apostolo* 1. Joh. IV, 1. num revelationes, quae jaectantur, verae ac divinae, an vero fictitiae falsaeque, *ψευδαδελφῶν* et *ψευδοπροφητῶν* sint, quas ipse l. c. vivis coloribus depinxit, tanquam ex fidei morumque integritate dignoscendas. Quamvis enim *Φαντάσματα* sua speciosissimo colore fingant mali genii, tamen cum utramque et fidei, et morum, sanitatem corrumpant, semetipsos, si ad lapidem Verbi Divini lydium exigantur, facile, ut lepores nidum, produnt. Nihil enim Deus a mente sua alienum, nihilque suo indignum numine, revelavit unquam, sed omnes DEI Revelationes majestatem eius et gloriam loquuntur. Clarissima enim vestigia, quae adhucdum ante oculos obversantur nostros, gravitatis, sapientiae, sanctitatis, *θεοσεπείας*, iisdem impressit, ut sese, tanquam a DEO profectae, animo insinuent, splendorem, claritatem et rerum revelatarum plusquam coelestem lucem inferant, quarum omnium radiis ita undiquaque circumfunditur animus, ut, in tanto fulgore coruscantis ubique divinitatis jucunda *πληροφορία*, exsultet, internamque confessionem et Spiritus S. testimonium, veritatis excellentiam, ut ne coelestes quidem genii earum contemplatione fatientur, utilitatem simul et necessitatem ad salutem aeternam consequendam, nec raro per miracula obsignationem, post se trahant. Quae enim Revelationes eadem hac trutina non pensitantur, eae facili negotio decipere nos ac circumvenire possunt. Vnde stolidum illud consilium jure meritoque ridemus, quod quidam in finitimis Salinis infulsus homo cepit, e tabulis publicis modum ostensurus dignoscendi veras a falsis Revelationes. Non solum enim pro certo posuit, hodieque immediatas dari Revelationes, sed simul etiam criterium aliquod somniavit, quo dignoscendae sint a veris falsae revelationes. Primum itaque opinabatur, mente verbum aliquod esse concipiendum, atque deinceps de hoc verbo, mente concepto, rogandum, si cui obtigerit, Angelum, tanquam de certissimo symbolo suo. Quod si noverit illud, veram esse revelationem, audiendumque Angelum, sin minus, falsam. Vid. B. D. NEVMANNI Disp. de Pseudapostolis Sect. IV. §. 4. Sed cum nostri non sit instituti, falsas arguere Revelationes, missas facimus illas, atque ad ipsum propositum venimus.

§. II.

Multi sane, non inter Judaeos modo, sed Christianos quoque extiterunt, qui Revelationem divinam omnem ad certas classes revocare, modo hanc, modo illam dispescendi viam incuntes, habita *tum* temporis, *tum* objecti, *tum* et subje-

subjecti ratione, anni fuerunt. Quorum vestigia B. D. NEUMANNUS *Theol. Apor.* p. 124, jam indagavit. Quomodo veteres Judaei hic distinxerint, GOODVINUS M. et A. L. II. c. VIII. p. m. 400. *Edit. Reizian.* SPENCERUS de *Legg. Ebr. Ritual.* Lib. III. *Disp.* VII. c. I. *Sect.* I. pluribus recensent. Nempe discernebant isti inter *Prophetiam* נְבוּאָה, *Inspirationem Spiritus S.* רִיחַ הַקֹּדֶשׁ, *Luces et rectitudines* תְּמִים *et אוריים*, *et Filiam vocis* בַּת־קוֹל *seu Echo.* Quae dispendendi ratio tametsi nonnullis, quod Prophetiam ab Inspiratione Spiritus S. sejungat, displicet, ut JAC. GUSSETIO in *Comm. ad LL. Ebr.* p. 782. ei tamen videtur novissime patrocinari REIZIUS l. c. p. 400. Sed pace viri dixerim, nimum haec coacta sunt, cum stylo Scripturae sacrae, Propheta, formaliter, ut par est, consideratus, semper is dicatur, qui ex inspiratione Spiritus S. et mandato divino vaticinatus fuit, de quo supra *C. I. Sect. II. §. 5. n. 1. p. 15.* egi. Neque hoc vocabulo indicatur, quid raro et extra ordinem obtigerit huic vel alteri, materialiter considerato, Prophetae, sed varias, divinas, ordinarias, revelationes distribuere voluerunt. Quibus triplex illa dividendi ratio magis placet, fundamenti loco ponunt oraculum I Sam. XXVIII, 6. et omne revelationis genus revocant, factum *per* Prophetas נְבוּאִים, *Luces et perfectiones*, תְּמִים *et אוריים* *et per somnia* מוֹתֵם. Alii provocant ad locum Num. XII. 6, 8. ex eoque suam quaerunt partiendi rationem, eandemque quintuplicem, nimirum in Visionem בְּמַרְאֵה, Somnium בְּהַלּוֹם, Aenigmata בְּחִירָה, figuram וּתְמִינָה, et eam, quae facta est ore ad os פִּיהָ-פִּיהָ. vid. SCHERZ. *Syst.* p. 7. HOTTING. *Thef. Philol. Lib. II.* c. 3. *Sect.* 4. p. 566. SPENCER. l. c. aliique. Nos doctrinae causa VVITSIUM sequemur Misc. S S. L. I. p. 16. sqq.

§. III.

Præeunte igitur VVITSIO, agimus I. de IMMEDIATA, eaque simplici, facta REVELATIONE DIVINA. *Est illa quaedam DEI actio, qua solo Spiritus S. instinctu, sine subsidio alterius creaturae, secreta sua revelat, ac nobis manifestat.* Vnde haud raro in S. Codice locutio DEI audit I. Sam. XXIII. 2, 3. Rom. III, 2. Θεοπνευσία, 2. Tim. I. 16. quae inest Prophetis I. Petr. I. 11. Matth. X, 19, 26. Gal. I. 12, 15, 16. Quod si enim creati Spiritus, et finitae potentiae sua animi cogitata revelare, deque iis colloqui, dicuntur, multo magis id de infinitae potestatis Spiritu, et purissima mente, DEO, licet effari, et ipsum quoque

que intime, et immediate, cum hominis mente, secreto usum alloquio, utut neque audiatur, neque intelligatur, nisi ab eo, ad quem dirigitur, agere posse.

§. IV

Sic quoque DEVS sese nobis cognoscendum dedit variis SYMBOLIS, unde et illa Revelatio SYMBOLICA audit: *Quae est actus quidam divinus, quo Deus nobis arcana sua mysteria, per sensibilem quandam repraesentationem, ope specierum, imaginumque sensibus nostris objectarum, ad ingenerandum menti nostrae de iis certos conceptus, in sui gloriam, et hominum salutem, revelare dignatus est.* Objiciuntur autem Symbola vel externis sensibus, vel phantasiae. Inter illos vel *Visum*, ut *Dan. V. 5.* vel *Auditum Gen. III. 9, 10, c. IV. 9, sq. Num. VII, 89, 1. Sam. III, 4. sq. et alibi, vel Visum et Auditum, Exod. III, 2. sq. XIX, 9, 19. sq. et praecipue Matth. III. 16, 17. vel Auditum atque Tactum simul, Dan. X, 9, 10. Apoc. I, 17. vel Visum, Auditum, atque Tactum conjunctim, ut Gen. XXXII. 24 sq. afficiunt. Ad quod Symbolicum genus revelandi divina Judaeorum pariter ac Christianorum, multi referunt *sortes* אוריים ותומים atque בת-קור, de quibus jam sigillatim paucis agere operae pretium erit.*

§. V.

I. De SORTIBVS nobis acturis statim occurrit discrimen illarum, quippe quae in *Divinas, Politicas, et Diabolicas* dividebantur. *Diabolicas* nihil aliud, quam *imposturae sunt Patris mendacii, ad humanum genus decipiendum atque corrumpendum* aptae natae. *Politicis* vero *sortibus* res arbitrio nostro subjectae, e. c. hereditates, legata, donationes, homines item ex universa aliqua civitate atque societate, certo quodam consilio, communique assensu, vel distribuuntur, vel secernuntur vel seliguntur, omnes hac ratione simul contentiones, certamina, atque tumultus, dirimendi componendique causa. Pluribus earum modum persecutus est CASP. PEUCERUS, opere *de praecipuis Divinationum generibus*, ubi et de *sortibus* agit. Fiebant olim vel *Talis, vel Calculis, vel Tesserae, vel Fabis, vel aliis varii generis rebus, urnae situlaeque, aut etiam galeae, inditis, quas potissimum Europaei literarum elementis compensarunt.* Sed ne oscitanter leviterque colerentur sortes atque observarentur, praesertim si bona fide, procul fraude dolove dejicerentur, et leges iis, et sortientium constans consensus, ex tacito pacto, valorem auctoritatemque conciliarunt. Quod vero ad SORTES

TES

RES DIVINAS attinet, illarum quidam usus, vel *Consultationibus ad detegenda ea, quae prorsus laterent*, ut *Achanis* furti crimen, contra praeceptum divinum, *Lev. XXVII, 28, Jos. VI. 18, 19, C. VII, 14, sq.* ut peccatum *Jonathanis*, cum mel, contra votum a Patre factum, comedisset, *1 Sam. XIV. 24, 42.* ut causa tempestatis maris, ob *Jonam* profugum, *Jon. I, 7. vel hereditatum distributionibus*, ut *Jos. XV, sqq. vel denique electionibus personarum, tum Politicarum, 1. Sam. X, 20, tum Ecclesiasticarum*, ut *Act. I. 26.*, tum denique aliarum quarumvis rerum sacrarum, ut, *Levit. XVI, 8.* inserviebat. Verum, etsi divinus quidem modus ea cognoscendi, quae nos latent, erat, tamen temporarius earum sortium, nec diuturnus atque perpetuus, fuit usus. Hinc patet, hodieque eum non esse imitandum, ut pari indaginis via, ad facinorum autores detegendos, Regesque, vel Principes, atque Sacerdotes deligendos, et quascunque res alias, dubias inprimis, et graviore, quae l. ad Ecclesiae, l. Politiae, emolumentum spectent, investigandas, incedamus, cum jam dudum, excitante Judaeorum Politia, et ipse earum usus expiraverit. Ejus enim certitudine, jussu, promissoque divino, destituimur, quin potius metuendum, ne Satae imposturae et illusionibus sit obnoxius iste sortium Usus.

§. VI

II. Ordo nos ducit, inquirendi in Revelationis divinae Modum, per *וְהָיָה וְהָיָה אֲוֵרִים* factum. At is quidem tam densa involutus est caligine, ut etiam Doctissimi quique Viri, aquam hic sibi haerere, fateri sint coacti. In generali quadam descriptione conveniunt fere plerique, dicentes, oraculum divinum fuisse, et singulare Revelationis divinae genus, neque humanae opus solertiaeque artisque, sed consilii divini, Pontificii pectoralis insigne ornamentum, a Mose intra duplicaturam pectoralis, uti *Wirsto* loqui placet, *AEGYPT. L. III, c. XI. p. 255,* cum *ALTINGIO, in Orat. de Ephod,* clam impositum, ab *Israeilitis* autem caeteris nunquam fortasse conspectum. Sed cum ad specificam illi definitionem descendunt, in diversas plane partes tantum non omnes scinduntur. *Talmudistae*, et *Judaeorum* nonnulli magistri, fuisse, defendunt, ipsum nomen *Schembamphorasch* *שֵׁמֶפְחֹרָשׁ*, duplicatum, divino digito, in concavo pectoralis insculptum, et impositum. Conf. *R. SALOMON ad Exod. XXVIII. R. DAVID KIMCHI, Targum Jonathae, Auctor libri Zohar fol. 105. R. ABRAH. SEBA in Zeror Hammor. Alii, ex nominibus omnium tribuum et familiarum, ut et familiarum, et Patriarcharum, Abrahæ, Isâaci et Jacobi, constitisse, dicunt,*

E

adeo,

adeo, ut literam Alphabeti defuisse nullam, et his superadditas fuisse voces
 כָּל אֵלֶּה שְׁבִטֵי יִשְׂרָאֵל vid. JOH. LICHTFOOTUS *Spicil. in Exod.* T. I. Opp.
 p. 186. Ex AUGUSTINO BELLARMINUS L. III. *de Pontifice Rom.* c. II. CORN. a
 LAPIDE, *in Com. ad Exod.* XXVIII, fol. 576. inter lapides ea opere Phrygio,
 vel acupicta, SALIANUS ad M. A. 2544. n. 542, et alii, has ipsas *Urim Thum-*
mimque voces medio pectoralis inditas fuisse, volunt. BENED. ARIAS MONTA-
 NUS vero *in Aarone* singulare quid, ac distinctum a gemmis, et pectorali, et in-
 star speculi, tersum ab ipso DEO Most ἀμέσως traditum, putat. Omnium
 fere probabilissima, si conjecturae locus est, sententia videtur, quam, e *Judaeis*
 R. ASARIAS *in Meor Enajim*; e *Christianis*, B. CALOVIVS *in Bibl. Illustr. ad*
Exod. XXVIII, 30. fol. 444. PFEIFFERUS *in Dub. Ven.* c. I. p. 243. CARPZOVIVS
ad Schickardi Jus Regium p. 20, tuentur, qui pro ipsis duodecim lapidibus,
 pectorali insertis, Urim et Thummim propter singularem usum, cui divinitus de-
 stinati erant appellatis, habent. De qua sententia ita judicat νετικωτατ
 CARPZOVIVS l. c. *Hanc Christianorum Interpretum sententiam plerique tu-*
entur, et certe minus difficultatis, plus verisimilitudinis, habet, si ita explicetur.
Jusserat Deus conscribi pectorale, eique duodecim gemmas inseri. Has
postea certo usui destinavit, et, ab hoc usu, denominatur Urim, et Thummim.
 Atque huc respexisse omnino videntur LXX Interpretes, qui voces, Urim, et
 Thummim, per ἄλλον καὶ ἀλήθειαν, extulerunt. Quam eandem sententiam
 haud ita pridem suam fecit, *Cel. Dom.* CASP. NEUMANNUS, *in Biga Difficul-*
tatum Physico-Sacrar. Lips. 1709, in 4to, recusa, qui Pos. VI, VII, confirmat,
 p. 9, *Urim, in ornatu pectorali Sacerdotis, nihil aliud fuisse, quam gemmas,*
a fulgore, Thummim autem easdem, a superficiei, quam habebant, plana at-
que aequali, denominatas. Argumenti fundamentum petunt a S. Scripturae si-
 lentio, quod ea nihil distincti a gemmis tradiderit, et ex locis *Exod.* XXXIX,
 8, sq. *Levit.* VIII, 8. Nam cum in loco priore, omnia, et, absit injuria di-
 ctis, minutissima, quaeque ita sollicito circumspecteque recensentur, praetermis-
 sa τῶν Urim Thummimque mentione, (quae utique injici debuerat, ad Urim et
 Thummim a gemmis distingvendum, si ab his omnino distarent,) hinc patere col-
 ligunt, idem fuisse, quod XII. lapides gemmaeque ibid. recensitae, et concavo
 pectoralis insertae. E contrario, in posteriore loco, nulla speciatim fit lapidum,
 gemmarumve mentio, Urim solum Thummimque nominatur, quod ipsum de-
 nuo argumentum est, idem fuisse, quod gemmae et lapides, vid. SPENCERUS *in*
Legg.

Legg. Ebr. Rit. Lib. III, Disp. VII, c. III. Sect. XI. SCHICKARDUS l. c. *Alii ἐπέ-
χεν* malunt, nihilque certi, tacente praesertim S. Scriptura, statuere, cautius forsā,
rectiusque, sustinent. Horum in numero sunt B. D. DANNHAUERUS, *Caf.
Consc.* P. I. GOODVINUS M. et A. p. 403. edit. Reiz, SCHICKARDUS l. c. p. 18. De
quibus omnibus sententiis vid. P. FAGIUS. et S. MUNSTERUS in notis ad Exod.
XXVIII. P. CUNAEUS de Republ. Ebr. Lib. II, c. II. NICOL. SERARIUS Comm.
ad Jos. IX. *Quaest.* 23. sqq. SELDENUS de Success. in Pontif. Ebr. Lib. II. c. VIII.
fol. 255. edit. Lond. Angl. Lib. III. de Synedr. Vet. Ebr. c. XII. p. 195. ROB. SCHE-
RINGHAMUS ad Cod. Joma, c. IX, p. 182. BUXTORFFIUS, instar omnium, in Hi-
storia Urim et Thummim, quae est inter Exercit. S. III. et 1659. edit. p. 267.
sq. VOGELSIANGIUS Exercit. Theol. II. p. 44. PETRUS MOLINAEUS, Lib. I.
Vatis c. 22. p. 76. RIVETUS in Exod. Opp. Tom. I. fol. 146. BUXTORFFIUS et
SCHINDLERUS in Lexicis suis. Omnium minime placent Anglorum JOANNIS
MARSHAMI, quam habet in Canone Chronico Aegyptiaco-Ebraico-Graeco, u-
bi contendit, ritus omnes Israelitarum esse ab Aegyptiis petendos. p. 189. edit.
Lips. et SPENCER, quam ex CHRISTOPHORO CASTRO Lib. III. de Vaticiniis, c. III.
plagiatorum more, teste JAC. THOMASIO de Plagio, in Access. §. 673. p. 28 sq.
haufit, sententiae. SPENCERUS enim somniat, idem esse Urim, ac Aegyptio-
rum *Iberaphim*, *Thummim* vero nihil aliud, quam eorundem ἀγαλα s.
ἀλήθεια, Deumque ad illorum imitationem rituum, inde hos repetisse, facte-
que levi quadam nominis mutatione, rem tamen ipsam conservasse. Defini-
tur autem ab ipso per Instrumentum quoddam concavum, ad pueruli formam
et figuram eo modo confectum, quo pupi isti, quibus pueri puellaeque lu-
dunt, fabricari solent, quodque reconditum gestabat Sacerdos intra concavas
rationalis sui plicaturas, quo mediante, Deus, aut illius nomine Angelus, ad
Pontificis interrogata respondit, eumque, quid ex usu esset, agere, quidve omit-
tere, quid praesens, quid futurum, voce ad id concinnata, eaque clara, indicavit.
vid. IPSE C. IV. *Sect.* II. c. V. *Sect.* III. et passim CARPZ. in *Notis ad Schickar-
di Jus Regium.* l. c. Quibus *Φλαρῖαις* excutiendis infra *Sect.* II. nonnihil spa-
tium dabo. *Nec MODVS respondendi* minore laborat difficultate. *Interrogan-
di* quidem *Modum* ex RHAMBANO LEUSDENIUS *Philol. Ebr.* p. 164, et SCHIC-
KARDUS l. c. p. 22. exhibent. De illo factam esse responsionem *clara voce*, sen-
tiunt *Talmudistae*, et quidem *Rabbini*, teste SCHERINGH. *ad Cod. Joma* c. VIII,
p. 185. sq. quod tamen negat SCHICKARDUS, l. c. Telam horum integram per-
texit SPENCERUS, eorundemque numero inferi, vi hypotheleos suae, libens pas-
sus

fus l. c. c. III. *Seft.* VI. et XI. Alii vero per *suggestionem*, et *Intellectus Illuminationem*, quam Pontifex, quasi ex pacto sic ornatus, percipiebat, obtigisse defendunt, ut RIVETUS l. c. CORN. a LAPIDE, l. c. SALIANUS *Annal.* T. II. ad A. 2544. §. 550. R. DAVID KIMCHI apud SCHINDLERUM, et plures. Nonnulli, per literas e lapidibus magis prominentes Ebraeis כִּתְּוִבִּי dictas, neve Sacerdos erraret, si diffusior esset responsi sermo, in earum protuberantium literarum conjunctione sensim paullatimque protuberasse, vel si una promicuerit, clara voce edoctum fuisse, affirmant. Alii per gemmarum splendorem, quarum aspectus, si quotidianus, vel eo obscurior, fuerit, triste, ut negans aliquid, si vero novis insolitisque lucis suae striduris, oculos sacerdotis ferientibus, adhaustus esset, laetum quid faustumque portendisse, ajunt. vid. ABR. SEBA in JER. HAM. SPENCERUS l. c. *Seft.* XI, c. III. JOSEPHUS *Antiqq. Jud.* Lib. III. c. IX. Alii omnes hos modos *Illuminationem*, *suggestionem*, *Literarum Eminentiam*, et *Gemmarum Splendorem*, cum *Articulata Voce simul conjungunt*, id quod facere videtur RHAMBANUS, in *Halacha Kele Hammikdosch* sub extremis, R. BECHAI ad *Exod.* l. c. Conf. SCHICKARDUS l. c. VOGELSIANGIUS l. c. p. 44. MOLINAEUS l. c. c. XXII. p. 67. RIVETUS l. c. fol. 1146. *Opp. Tom.* I. WALTHERUS, *Spicileg.* et plures. Responsonem hinc factam esse, scimus, modum ignoramus. SVBJECTVM hujus oraculi ordinarium solus summus Pontifex erat, cui conceditum illud, et immediate idem consulendi copia est facta, Num. XXVII, 21. *Exod.* XXVIII, 30. *Levit.* VIII, 8. Extra ordinem vero interdum illi concessum fuit, qui secundus a Pontifice primam administrandae rei sacrae curam post illum habuit, ut ex Phinea patet exemplo Num. XXXI. 6. Nec immediate, per summum Pontificem, cuius promiscue integrum erat, DEVM consulere, sed exclusis plebejis, iis tantum, penes quos summa Regiminis, Imperiique potestas, aut publica quaedam Senatus dignitas, erat, cujus persona Resp. indigebat, ne frivolis rebus ineptisque, majestatem oraculi hujus, et sanctitatem laederet profanum curiosumque vulgus Num. XXVII. 21. Quin nec eorum semper desideriis DEVS satisfecit 1. Sam. XXVIII, 6. Neque immediate Regi, vel alii cuiquam, DEVM per Vrim et Thummim consulere, leges divinae permiserunt, sine summi Pontificis, aut ejus Vicarii, opera, cui quippe soli jus hoc concessum erat, 1. Sam. XXIII, 9, XIV, 3, quicquid etiam SPENCERUS l. c. c. VI. *Seft.* II, et P. CUNAEUS de *Republ. Ebraeor.* L. I, c. 14. refragentur. Quod si enim immediate et promiscue vel omnibus, vel solis etiam Regibus, hocce Urim Thummimque oraculum tractandi, gestandi, et consu-

consultendi facultas concessa fuisset, proclivem proclivi jam tum Israeli viam straxisset DEVS, ad omne scortationis spiritualis et imposturae diabolicæ genus, quam vero, lege sancita, solique Pontifici jure hoc vindicato, obstruxit. Provocant quidem, sed frustra, ad 1. Sam. XXX, 7. et XXVIII, 6. In priori enim loco diserte dicitur, Davidem a Pontifice petisse, ut ipsi applicaret Ephod, atque indueret. Jam vero nulla argumenti specie de Davide probari poterit, adeo supine legem divinam ab ipso fuisse habitam, ut falcem in alienam intulerit messem, aut ei, si vel maxime voluerit, indulgisse Pontificem. Quare CUNÆO prius demonstrandum, ἀμείωως, absque Pontificis cura, DEVM, ab rege, aliove, consultum fuisse. Immo, inquit, SPENCERUS, facili hoc opera præstabo, ex 1. Sam. XXVIII, 6. Sed ibid. tantum dicitur, consultum fuisse Deum a Saule, quonam vero modo, utrum per Vrim et Thummim ἀμείωως, sine Pontificis subsidio, an per Prophetas etc. consuluerit eum KISSEUS, non extat. Verum, demus, tantisper ita fecisse, quis, quaeso, arguendi modus, petere exemplum a Rege crudeli ac scelerato, qui pro lubitu leges divinas tractabat, manusque Sacerdotibus Jehovæ violentas inferre, ipsosque cruenta interneccione delere, non verebatur 1. Sam. XXII, 18. Improbavit ipse DEUS factum ejus, qui sua eum responsione dignari noluit. SPENCERIANUM est somnium, alibi adhuc hujus nominis et usus oraculum, Vrim Thummimque extitisse, Conf. c. VI. Sect. II. fol. 969. Facile enim præviderat, quid sibi obfaret, nempe locus 1. Sam. XXIII, 6, ubi Abjathar ad Davidem, una cum Ephod, atque Vrim dicitur confugisse. Ne igitur affirmare cogere, Saulem Abjatharem revocasse a Davide hoste suo, ut subsidiariam ejus operam, cum Deum vellet consultum, sibi expeteret, effugium quaerit, sed hoc deterius, ac si per Theraphim garrulam imagunculam, spiritu mendacii semper animatam, Deum consuluerit, vid. Buxtorf. Hist. Vrim et Thummim p. 270. 293. Verum enim vero, quanquam hic divinus revelandi modus valde illustris, non tamen perpetuus fuerat, sed temporarius. Nam exspiravit, si non multo ante, sub initiis tamen secundi templi. Quamvis enim templi secundi ætate, augustissimis splendidissimisque vestibus summus Sacerdos condecoratus usu tamen hujus oraculi fatidico, communi eruditorum consensu, destitutus fuit. Nam quinque tum res desiderabantur: 1) Arca Fœderis, cum inclusis Decalogi Tabulis, Vrna Mannæ, et baculo Aaronis florente. 2) Vrim et Thummim. 3) Ignis Sacer superior. 4) Habitatio Divina, præsentiam DEI sensibili modo commonstrans. 5) Spiritus S. sive Donum Propheticum. Defuit ergo quoad usum, etsi non negaverim, ratione formæ pe-

eternalis affuisse. An vero, jam jam tempore Salomonis, an longe post, expiraverit, aliis defendendum relinquo, sufficit in templo secundo defuisse. vid. SPENCERUS l. c. Sect. II. JOSEPH. Antiqq. III. 9. sqq. FINIS autem hujus oraculi, *Objectivus* alter, alter *Vlimus*, erat. Objectum erant res civiles dubiae, e. c. bella etc. Jud. I. 1. XX, 18. 1. Sam. XIV. 18. XXIII, 2. XXX, 7, 8. 2. Sam. V, 19. Quam ob causam a SPENCERO l. c. C. I. Sect. II. oraculum nominatur Politicum. Non enim de levibus et privatis quibusvis negotiis, vel etiam nullius momenti, ab hominibus privatae conditionis consulendum veniebat. vid. R. Abarbenel, in Exod. XXVIII, et Deut. XXXIII. JOSEPHUS l. c. BUXTORF. l. c. *Ussus*, inquit, *Vrim et Thummim erat, ut veluti certissimum oraculum divinum essent, per quod Deus in rebus gravibus, dubiis, et inopinatis, ad Ecclesiae, vel Reipublicae salutem spectantibus consultus a populo, quae facere oportere, per Sacerdotem summum revelabat. Ultimus* finis erat, primarius quidem gloria DEI, secundarius autem, ut α) facilem ad idololatriam lapsum averteret, et β) clarissimum providae suae curae, singularis praesentiae, Amoris denique, ante oculos ipsorum obversarentur pignus atque documentum, ut γ) solatium adderet variis pressio calamitatibus populo.

§. VII.

Extincto priore τῶν Vrim et Thummim oraculo, Talmudistae, Cabbalistae et Judaeorum Doctores, ejus in locum substituunt III) בת-קול, filiam vocis, temporibus secundi templi auditam. Quo quidem vocabulo, certam isti ex מדרגה קול הקשר speciem intelligunt, vocemque coelestem divinitus emissam huic temporibus esse, defendunt. Pluribus hujus vocis ἐτυμολογίαν persecutus est BUXTORFIUS *Lex. Talm.* p. 321. Diversum vero sentire ab eo CHRISTIANUM SCHOTANUM, in *Triumpho script.* L. II, c. 7. WITSIUS *Misc. SS.* p. 18. annotavit, ut asserat, קול vocem significare sonum, aërem ferientem, בת-קול vero soni repercussionem, verba et dicta, sono isto expressa, similique demonstrat e Tonitru desumpto. *Tonitru, inquit, est vox Domini; Ea vox aliquando audita est, ut non audiretur Filia vocis, seu articulatio istius soni in certa verba.* Quibus observatis, facile loci illi Act. IX, 7. et XXII, 9, inter se conciliari posse, existimat. Vbi, in priore, viri astantes quidem קול, sonum vocis Domini audivisse, sine articulata voce et expressis verbis, dicuntur, quam posteriore sc. בת-קול non audissent, quoad expressa verba, mentem sententi-

sententiamque inferentia. Huic Revelationis divinae generi auctoritatem ejus Patroni ab exemplis conciliarunt, cujusmodi deprehendimus in Baptismatis Christi descriptione Matth. III, 17. Marc. I, 11. Luc. III, 22. et in glorificatione Christi, in monte Thabor facta, Matth. XVII, 5. Marc. IX, 7. Luc. IX, 35. collato cum Joh. XII, 28, 29. De qua ex coelo emissa voce, varia variorum deprehendimus judicia, ac tandem in responso, divinitus Simeoni per Spiritum S. reddito, Luc. II, 26. Ceterum nobis haud est integrum, nugas istas, quas de *בְּתִיקָר* verpi sunt fabulati, quibusque toti huic oraculo auctoritatem conciliarunt viris emunctae naris suspectam, multis persequi verbis. Quod manifeste WITSIUS l. c. profitetur, qui hocce revelandi genus inter inficetas Judaeorum fabulas referre nihil dubitat, etsi prorsus negare nolit, vocem aliquando ex coelo auditam esse post Prophetarum aetatem. vid. P. MOLINAEUS in *Vate*, L. I, c. 7. VOGELANGII *Exerc. Theol.* II. §. 14. LIGHTFOOTUS *ad Matth.* III. 17. DRUSIUS L. I, *Praeterit.* p. 6, 7. GLASSIUS *Philol.* S. L. V, T. I, c. X, p. 1227. JOSEPHUS de VOISIN in *Observ. ad Raymundum*, fol. 227.

§. VIII.

Egimus haec de illa immediata, eaque Symbolica, sensibus externis facta, Revelatione, nunc paucis, ut illam videamus, quae PHANTASIAM afficit, ordo nos ipse jubet. Afficitur autem illa non aliter, quam extraordinaria quadam et vehementi, a DEO facta, spirituum animalium elevatione, ad contemplandum intensissime sibi repraesentata, quasi corporea, licet talia non sint, objecta. Id autem exempla, mox adducenda, comprobabunt, ubi deprehendimus, saepius Prophetarum virorumque Sanctorum phantasiae res quasdam, veluti corporeas, fuisse objectas, quae sensuum organa adeo commoverant, ac si re ipsa motu quodam fuissent affecta, cum tamen, Deo ipsos ad id elevante, spiritus animales ita in cerebro agitentur, ut eo modo cerebrum afficerent, velut si externis objectis agitata esset. vid. WITS. l. c. Pro diverso tamen hominum statu, in quo ejus modi Revelatio, per elevationem phantasiae, est facta, ipse quoque Revelationis modus discrepare necesse est. Modo enim VIGILANTIBUS, unde *ἰγνασις*, modo DORMIENTIBUS, unde *Somnium* vel *Insomnium* vocatur, obtigit. Hujus, quae *Vigilantibus* concessa fuit, plurima in S. Codice obvia sunt exempla, ut Es. VI, 1. sqq. Jerem. XXIV. sq. Ezech. III, 1. IV, 5, 12. sq. VIII, 1. sq. ac deinceps a c. IX usque ad XIV. c. XXXVII, 1. sq. XL. et pluribus passim locis. Dan. VIII, 2, *vigilanti obtigisse, circumstantiae*

tiae probant, v. 18. sq. X, 5. Zach. I, 7, 11, usque ad VI. et alibi passim. Observamus autem, quod nonnunquam, cum ipsa statim visione, ejus interpretationem perceperint, idque vel DEO, vel plerumque Angelo interprete, ut Dan. VIII, 15, 16. Zach. IV, 5. Apoc. VII, 13, 14. Interdum vero plane non ipsarum visionum vim & sententiam penetrare poterant, Dan. XII, 53. Non enim salutare Ecclesiae illius temporis, vel Prophetis ipsis scitu necessarium duxit sapientissimum Numen, omnia aperire, sed perspicuitatem earum ad tempus eventui destinatum reservavit, quo facem prophetiis ipso accenderet exitu. Interim tamen, recte monente WITSIO, l. c. hinc colligendum non est, vana haec illularum mentium *γλαυκόμαλα* fuisse, inanesque rerum imagines, cum illae tamen figurae maximorum mysteriorum extiterint, quae, nil refert, quomodo sane ad informationem et convictionem animi efficacissime Viribus objiciebantur, quarum vis non pendet a corpore et substantia objecti, sed ab aptitudine et claritate repraesentaminis, p. 20. §. 10. Quod accurate contra Spinozam notari velim, qui eam ob causam omnem certitudinem Revelationibus Propheticis denegare studet, Tract. Theol. Polit. c. I, II. Conf. SCHOMERI Colleg. Novissimarum Controv. p. 66. sqq.

§. IX.

Cum haud raro in Scripturis deprehendamus, a DEO, per Revelationem ejus ita hominis phantasiam affici, ut extra se homo videatur positus, anima velut e sede sua digressa, hinc ea merito ab rerum sacrarum peritis *Ἐνσασίς* appellatur. Quae generatim a WITSIO l. c. p. 22, ita describitur: *Est mentis alienatio, ut, cessante externorum sensuum functione, ipsa eorum, quae in corpore geruntur, prorsum ignara, tota vehementibus fixisque cogitationibus occupata sit. Est autem illa vel Naturalis, vel Praeternaturalis, atque Falsa, Diabolica, vel Supernaturalis atque Divina.* Procul enim est omni dubio, dari *Ἐνσασίω* Naturalem. Quam quidem hoc nomine, ob naturales, quas habet causas, voco. Cujusmodi sunt a) *nimia objectorum mentis contemplatio.* Sicque est mentis quidam excessus atque sensuum distractio, qua sensuum organa ab ordinario suo officio, atque operatione externa, revocantur, internis tantum phantasiae lusibus intentata. CARDANUS hoc, apud WITSIUM l. c. exemplo se comprobare suo, posse jactat, refertque de se ipso, *quoties velit, in Ἐνσασίω se transire, ita ut voces quidem adstantium leviter audiat, non tamen intelligat, vellicationem validam, et ne podagrae quidem*

dem dolores prorsus sentiat. Plura dabit CASP. PEUCERUS de *Præcipuis Divinat. Generibus*, ubi agit de *θεομαντεία* p. m. 273. edit. Francofurt. 1593. *Est quoque illa β)* a violentiore morbo, et melancholia, prout præter PEUCERUM docuit Celeb. D. D. WEDELIUS, *disp. de Catalepsi, rarissimo affectuum*. Erravit autem CASP. EBELIUS, qui, Naturalem dari *ἐκτασιω*, negavit Opp. Phil. P. III. p. II. Sed et, gradus naturalis hujus *ἐκτασεως* esse, patet. Illa enim, quæ ex contemplatione objectorum mentis nimia propullulat, vehemens, quæ vero per morbosum illum *καταληψεως* affectum contrahitur, vehementior est. In illam hominem naturaliter, quotiescunque voluerit, conijcere sese quodammodo posse, non abnuo, cum aliqualis tantum, levis, non omnimoda, totalis, et gravior sit mentis alienatio atque excessus. Hoc autem negare licebit, homini integrum esse, naturaliter sese graviori illi permittere, quoties voluerit, ut hinc ejusmodi consequatur *ἐκτασιω*, quæ totalem sensuum usum, reflexionem atque abstractionem, involvat. Potest autem, saltem præternaturaliter, impostura scilicet Satanae, sensuum organa occupantis, impediensque, vel flectentis, et paroxysmo cataleptico correptus, in *ἐκτασιω* se conijcere. De falsa illa, *Fanatica, Diabolica, Præternaturali*, vid. PEUCERUS l. c. et omnes illi, qui suam in perstringendis Revelationibus Immediatis, ab hodierna impiorum Pietistarum gente toties jactatis, operam studiumque posuerunt. DIVINA autem est, prout eam nobis WITSIUS l. c. p. 23. descripsit, *quando DEI Spiritus, totam mentem invadens, atque implens, eam, ab omni corporis commercio, pro isto tempore, abstractam, arcanarum divinarum rerum contemplationibus, ac meditationibus, prorsus occupatam tenet*. Vel, nisi me omnia fallunt, *Mentis quidam excessus, animæque præter suam intentionem, a sensibilibus apprehensione avocatae, per singularem et plane extraordinarium Spiritus Sancti operationem, facta elevatio, erectio, raptusque, ad ea intus contemplanda objecta, quæ a DEO ipsi proponuntur*. Notatu vero dignum est, *ἐκτασιω*, etsi non formaliter, realiter tamen a raptu interdum differre, licet raptum sine *ἐκτασει* esse, ipse negaverim. *Ἐκτασις* enim mentis simpliciter excessum, ut raptus augmentum excessus atque elevationis designat, importatque. Sed majorem, Enthusiasmum inter et *Ἐκτασιω*, deprehendimus differentiam, cum ille tantum Spiritus S. operationem, agitationem atque impulsum: hæc autem præterea mentis excessum, *et quasi e statu suo naturali dejectionem, atque a corpore separationem, involvat, qua, veluti ab ordinaria sensuum functione abstracta anima, in se recessit, ad sibi repræsentata objecta, studiosissime advertenda atque cognoscenda*. Omnium

vero maximum, divinam inter et naturalem ἔκτασιν, me vel non monente, deprehendendum discrimen intercedit. Quam enim illa naturae aut donis, aut deliquis, (quibus de causis egimus supra pluribus,) eam haec divinae gratiae debet originem. Vnde et illud resultat intervallum, quo ἔκτασις distat a θεοπνευσία, quippe quae actum, ut altera statum, dicit. vid. Magnif. D. D. JAEGERUS, *Tubingensium Celeb. Cancellarius, Praeceptor meus perpetuo venerandus, in erudita de Enthusiasmo Moderno disp. A. 1706 habita, §. 13, 16 et Celeb. Dominus M. BUCHERUS in Platone Mystico c. II. §. 3, seqq.* Et si vero, ἔκτασιν mentis excessum, vi vocis, esse, diximus, et affirmavimus, contra Jo. BODINUM Daemonon. L. II, c. 2, p. 224, negamus tamen, eam in evacuatione facultatis intellectivae et sensitivae, et animae a corpore solutione ac separatione, positam esse. Cum enim Paulus verba illa ἀπῆλθα, si non Intellectus, minimum tamen auditus, sensu in summo ἐκστάσεως gradu constitutus, perceperit, per se patet, errasse BODINUM. Ad hoc accedit, quod ejusmodi a corpore animae separatio, actualem inferat mortem. Sed absurdum dictu foret, operari Spiritum S. gratiose, per charismata sua, in exanime corpus. Hoc ulterius inde demonstrat. Omnis Spiritus S. operatio, vel subjecti propriam, vel totius Ecclesiae, intendit aedificationem. Sed, si totalis cum BODINO asseratur sensuum evacuatio, Spiritum S. excidere hocce sine suo, necesse est, et frustraneus fuerit labor, cum mortuo, omnique sensuum usu destituto, arcana sua communicare velle, quum id sine potentia sensuum receptiva, perceptioni tali debita, fieri non possit. Ceterum, quod observari meretur, quoties anima cum operationibus revocabitur, toties quoque, totius ὑψισταμένης a mortuis excitatio, vivificatio et resurrectio praecedat, oportebit, immo toties miracula locum habebunt, quoties ἐκστάσει abripiemur, quibus miracula citra necessitatem multiplicanda forent. Quae omnia, ut ἀγγραφα, ita ἀντίγραφα, sunt. Nam contrarium ostendunt Scripturae S. exempla, Actoꝝ. X, 9, 10. seq. c. XXII, 17, II Cor. XII, 2. seq. quem in locum videatur D. D. FOERTSCHIUS, *supra cum laude saepius citatus, in der Kurzen Betrachtung Göttlicher Offenbarungen.* Nonnulli pro ἐκστάσει, ut WITSIUS l. c. loca Dan. X, 8, 9. Apoc. I, 17. producant. At enim, si dicendum, quod res est, num ad eam hi loci referendi sint, dubitamus. Nam de Corporis potius lassitudine, et animae deliquio, atque terrore, ex visione Prophetica ortis, absque mentis excessu atque raptu, ibi sermo est, quae totum ἐκστάσεως finem non satis adimpleat. Hinc et CALVINI sententiam, quam in *Comm. ad h. l.* habet appro-

approbare non possum, dum Prophetam corpore domi, mente vero ab *ἐκστάσει* correpta, ad fluvii littus fuisse, defendit. Vt enim Textui hoc contrarium est, ubi dicitur v. 4, Danielem revera cum sociis suis, ibi fuisse, ita falsum est, in *ἐκστάσει* eum incidisse propter insolitam ejus consternationem, ex splendidissima Angeli apparitione ortam. Nempe haec omnia proximam, et legitimam *ἐκστάσει* causam nondum constituunt, quippe ad quam requiritur extraordinaria Spiritus S. operatio, intellectum illuminans, mentemque ab externis revocans, ad interna isthaec objecta intuenda. Hac autem CALVINI stante hypothese, toties *ἐκστασις*, quoties consternatione afficiantur fieri, concedendum, quin et, ipsum Bileami asinum in eam incidisse, dicendum esset. Vid. GESN. *Disp. in Dan. l. c.*

§. X.

Verum, ut de iis *Revelationibus Divinis* quaedam explicem, quae *Dormientibus* obtigerunt, et ordo, et instituti me ratio jubet. Eae vero vel *ἀπλῶς* somniorum nomine, vel insomniorum titulo, veniunt, atque, me vel tacente, in Naturalia, Praeternaturalia, et Supernaturalia Insomnia esse dispendenda, nemo non conicere potest. Sed Naturalia ex Objectis, minime infallibiliter, semperque subjectis ab aliis dignoscuntur. Quod si enim profana quis, ludicra, vana, turpia, et his similia, somniaverit, naturae corruptae, vel etiam Satanae effectum *ex parte* esse, haud difficulter quisque judicabit. De sua enim causa effectus testatur. Cujusmodi in iis potissimum deprehendimus, viresque noctu suas facultatem imaginandi exercuisse didicimus, in quibus unum aliquod temperamentum praestat. Cum enim naturalium rerum Interpretes, diversas diversorum temperamentorum et affectiones, et effectus, experti fuissent, procul dubio est omni, cuivis eorum temperamentorum aliquid esse rei peculiaris. Unde, cum Temperamentum *Sanguineum*, praeter cetera, sponte ad omne libidinis genus proclivius sit, famam vero gloriamque non minus, quam arrogantiam anhelet Cholericum, denique avaritia divitiisque Melancholicum delectetur, fieri non potest, quin ejusmodi naturae propensiones variae in diversis, diversa ratione, noctu phantasiam cerebrumque afficiant somniantium, iisque adulentur, modo gaudium, modo iram, modo terrorem, modo tristitiam incutientes. Animus enim quietus haud unquam, nocturno in primis silentio, ubi, ab exteris objectis revocatus, neque aliarum mentis corporisque externarum ordinariorumve operationum varietate distractus, in sese contemplandi gratia, recedit, validissime et cerebrum spiritusque animales, et dormientis phantasiam, afficit iis rebus,

quibus diurno tempore oblectabamur potissimum, aut angebamur. Quapropter non erraturum putarim, si quis *Insomniorum* hanc dare velit *descriptionem Naturalium*, *Esse haec vanos vanae phantasiae dormientis errores, casusque rerum lusus et agitationes cerebri, per quas afficitur rebus, quas raro, vel nunquam fortasse, consequitur.* Eccles. V, 6. Nam prorsus negare non auisim, nunquam, licet raro, somniantem eas assecuturum res, quas somniavit, qui exemplis id comprobare possem, nisi chartae parcerem, eventum saepe numero docuisse, non omnia omnino insomnia callos fuisse vanosque rerum lusus. Nam in iis interdum divinae providentiae indicia deprehendere est, vel iis eos excitando, quibus concessa sunt, vel adhortando a vitiis, vel avocando, deque periculo, et aliis rebus instantibus, instruendo. Interim difficile dictu, praesertim in iis, quas prima statim fronte leves aestimamus, rebus, licet eventus, gravissimas fuisse, ostendat, et rerum causas indicare, et, quid divini insit atque humani, judicare, cum quaedam iis accidunt, quae nec ab DEO, nec Angelo temere dixerim revelata. Memorabile FRIDERICI III Electoris Saxonis insomnium est, quod summatim MAGNIFICUS DN. PRAESES MEUS *in disp. de Primordiis Emendatae per LUTHERUM Religionis, inter alia, p. 30, exhibet; FRIDERICUM Sapientem Sveidnitii somniasse, Monachum, comitatum sanctis, ad se venisse, de coelo, et, ut quaedam ostio templi Academici inscribere liceret, petiisse, scripserit autem literis tam insignibus, ut scriptura etiam Sveidnitii legi posset, sinem calami Romam se extendisse, utramque aurem Leonis X, ibid. jacentis, penetrasse, inde ad coronam tricipitem Pontificis sese exporrexisset, eamque adeo commovisset, ut casura esset. Ad haec audivisset, Monachum pennam istam accepisset ex ala anseris Bohemici.* Si quis ergo dixerit omnia somnia, licet videantur naturalia, talia revera semper esse, adeoque vana vanae phantasiae ludibria, hoc uno etiam exemplo, demonstrari posset, interdum, etsi non semper, divinam providentiam circa illa fuisse occupatam. Interim eos puto graviter erraturos, qui ex conditione subjecti somniantis, prout vel pium, vel impium fuerit, somniorum valorem et disparitatem, Naturalium pariter et Supernaturalium, firmiter colligi posse, sibi aliisque persuadere conantur, cum constet, impiis etiam, et extra gratiae statum collocatis, somnia vere divina obtigisse, quod patet e *Matth. XXVII, 19, c. II. 12, Gen. XXXI, 24, c. XI, et XLI.* De Diabolicis et Praeternaturalibus vid *PEUCERUS l. c. Notas eorum, quas dicimus discretivas, exhibet WITSIUS l. c. p. 30. Divina, inquit, somnia sunt Revelationes, ipsius DEI singulari, extraordinaria ratione et gratia, extra communis providentiae ejus cursum*

*cursum, dormientium phantasiae, modo mutis, Gen. XLI. modo vocalibus, Gen. XXXI, 11, 24. Matth. II, 12, seq. Gen. XX, 3, modo ex mutis, et vocalibus mixtis, Gen. XXVIII, 12, 13. Actor. XVI, 9, et modo sine imaginibus, Matth. I, 20. c. XXVII, 19, immediate pariter, et mediate, Angelorum ministerio, concessae atque immissae, ad demonstrandum, vel singularem DEI amorem, in uberrimos Ecclesiae, Matth. II, 12, 13, 19, 22, Politiae, Gen. XLI, et denique illius, cui fiunt, Gen. XXXVII, 5. XXVIII, 12. XXXI, 10. valituros usus, vel denique ad Iustitiam divinam declarandam, Dan. IV, 5. Addimus, quod non modo infomnium, sed ipse quoque somnus, a DEO immittantur Gen. II, 21, XV, 12, Jud. VII, 13 sq. 1. Sam. XXVI, 12, quodque somniantes, ne eos lateat, quid sibi velint, partim immediate, partim mediate per Angelum, in ipso somniandi actu, ab ipso edoceantur. Conf. WITSIUS, et PEUCERUS locis jam indicatis, RIVETUS in Comm. ad Gen. Exerc. CXXIV. FRIDER. SPANHEMIUS *Dubb. Evangg.* P. II. p. 467.*

§. XI.

Consideratis hactenus Immediatis Revelandi modis divinis, II. MEDIATOS quoque paucis perlustrabimus, in quibus quidem, et *Angelorum, et Hominum ministerio, DEUS est usus.* Quod ad Angelos, usus DEUS est opera, tum *creatorum, tum Increati.* Nam inter creatos interpretem sese divinae voluntatis prae reliquis Angelus ille, Gabriel, sistit, *Luc. I, 19, 26,* aliis non exclusis, *Ebr. I, 7. Dan. IX, 21, 24, Dan. X, 11, 12, 13, sq. et passim in Apocalypsi.* COCCIJUS in *Comm. ad Dan. IX,* nomen *Gabrielis* collective fuit interpretatus, negatque, nomen hocce unius Angeli proprium esse, sed omnium myriadam Sanctorum, ex quibus unus loquatur nomine DEI ad homines, quod ad glorificandum DEVM facit. Sed falsissimum hoc esse, hinc demonstro, quod 1) hic Angelus apparens l. c. in singulari dicitur *גַּבְרִיֵּל* vir *Gabriel,* cum articulo *הַ* demonstrativo, quo expresse indicatur, Angelum illum advolantem, hunc esse virum, cui nomen sit *Gabriel,* non appellativum, sed proprium. 2) Eum hoc nomine dicit Gabrielem, quem c. VIII, 16, viderat Propheta. Jam vero non Angelorum myriades, sed unicum visionis divinae, proprio hoc nomine insignitum, interpretem vidit. Qui 3) unus quoque ac solus deinceps cum Daniele loquitur. Et 4) alibi, *Luc. I, 19,* Zachariae semet notum facit ipsum, et nomine et officio ab aliis distinctum. Quae cum ita sint, facile dijudicandum erit, quid de THOMAE HOBBSII opinione, satis profana, *Leviath. c. XXXIV. p. 186.* sentiendum sit, qui adeo contemptim de Angelorum natura atque essen-

tia differit, ut ne quidem confirmare erubuerit, *Angelos mera phantasmata, et organorum accidentia sentiendi*, esse. Sed, cum ex hisce ipsis memoratis locis satis superque sit ostensum, Angelos apparentes cum hominibus colloqui, eosque in voluntate DEI instituere, immo internunciorum vice defungi, hinc falsi ejus patet crimen, mera eos quaedam phantasmata esse. Actiones enim non phantasmatum sunt, sed suppositorum. Negamus tamen, corpora esse eos supposita, contra P. POIRETUM *Cogit. Rat.* L, I, c. 7, p. 67, et novissimum *Londinensem Medicum, VV. COVWARDVM, scripti, 1706. editi auctorem, cujus titulum Anglicanum fecit, Te just Scrutiny, or a series enquiri in rosbe modern notions of the soul etc.* Nam SS. Pandectae non per corpora materialia, sed per Spiritus, descripserunt Angelos *Pf. CIV, 4. Ebr. I, 4. Matth. VIII, 16.* Nec obstat, quod Danieli atque Zachariae, et alibi, in assumptis apparuerint corporibus, cum ea ipsis, non perpetua, sed ad tempus ab iis fuerint assumpta, quae, tempore peracto, rursus deposuerunt. Huc accedit, quod ipse CHRISTUS in V. T., de quo mox pluribus, in corpore, ut Angelus, apparuerit. Quodsi vero dices, eo tempore verum ipsi fuisse corpus atque perpetuum, tum veram ipsius incarnationem, impleto factam tempore, aperte negabis. Quemadmodum itaque hoc veritati *ἐσαρκιώσεως*, sic illud, quod corpora sunt phantasmata, Majestati divinae, et actuali existentiae ejus aeternae, repugnat. Diximus autem supra, *Angelum quoque Increatum, DEI FILIUM*, Angeli specie, Interpretis divinae voluntatis munus obiisse, quippe cujus rei frequentissima splendidissimaque in S. Codice vestigia deprehendere licet. Sic enim *Gen. XVI, 7.* Hagari se videndum objecit, comiter fugitivam alloquendo, eamque officii sui admonendo. Id autem probo a) ex nomine, quod erat Jehovae *יהוה* v. 7, 13, DEO soli conveniens, *Exod. XV, 3, Psal. LXXXIII, 19. Es. XLII, 8, 1. Jer. XVI, 21.* β] Ex attributis mere divinis, dum sibi omnipotentiam, et omniscientiam vindicat, afflictæ solatium, et multiplicationem seminis sui promittit. Quae quidem eventus ipse comprobavit. Ita quoque apparuit, ut Jehova *Gen. XVIII. v. 1, 13, 17, Abrahæ, quem hic religiose coluit v. 3, ut omnipotentem atque omniscium DEVM. Conf. Jud. XIII, 3, 22. et alibi passim.* Majori locus *Dan. X.* difficultate laborat, unde et interpretes ejus abeunt in diversum. Nam ex Pontificiis, CORN. a LAPIDE, ex Calvinianis GROTIUS *Comm. ad h. l. speciatim v. 5, 6, 7. e Nostratibus Incomparabile illud Patriæ meæ decus, Magnif. D. FECHTIUS in Sylloge, Disp. X, Thesi XI, et XII, fusius tamen in Collegio Ms. ad illas theses v. 13, de Angelo creato,*

quam

quam increato, intelligere malunt. Verum, haud quaquam me erratum existimo, si, quod res ipsa jubet, distinguam Angelum illum, v. 5, 6, ab Angelo, v. 10, 11, 13, 14, sq. descripto, dicamque, priorem illum, v. 5, 6, 9, indicatum, utique Increatum fuisse. Id probo 1) ex Angeli illius apparentis pompa, qua vix augustiore usus est Angelorum omnium Conditor, ac Dominus. *Exod.* XXIV. 10. *Ezech.* I. 26, 27. Vestimenta enim illa linea splendida, atque pura, et Zona aurea, summam magnificentiam antiquitus designarunt. Nam ejusmodi ornatus Regum erat, summorumque Sacerdotum, *Lev.* VI, 10. 1. *Sam.* VI. 14. collato cum *Es.* XLIV, 23, prouti pluribus id ostendit GOODVINUS in *M. et A. edit. Reiz.* p. 25. Quae cum ita sint, nemini, haud dubie, praeterquam Increato illi Angelo, convenire possunt. Hac enim visione τυπικῶς, Regem se, et summum Pontificem N. T. futurum, significavit, justitia sua atque omnipotentia populum suum gubernaturum, suoque cum sanguine cum DEO reconciliaturum. Neque exiguum dictis, similis *Apoc.* I. descripta, apparitio lucem affert. Et 2) idem probo ex apparentis l. c. Angeli corporis habitu, aspectus fulgore, atque Majestate, verborum ipsius tanta vi, et efficacia, ut eos, qui coram aderant, attonitos redderet, ipsi etiam Danieli anima deficiente, quem alius quidam Angelus, isque creatus, vel, ut Interpretes volunt, Gabriel, superveniens semianimem recreavit. Atque omnia haec ita sunt comparata, ut virum cum arguant, non modo v. 11. ab aliis longe distinctum, sed potentia etiam, excellentiaque reliquos omnes, quotquot eorum fuerint tum comites, longissime antecellentem. Angelus, huic quodammodo compar, Paulo *Act.* IX. 3, apparuit. Num vero hic Angelus, v. 6. a Daniele visus, quem modo diximus, Filium fuisse DEI, idem sit, ac ille, qui v. 13. *Archangelus Michael* salutatur, nisi negare cum *Religiosissimo D. D. FECHTIO* l. c., fortasse tamen de re tantis involuta involucris, salva fidei analogia, dubitare licebit. Rationes enim, quas VENERABILIS SENEX affert, ita comparatae sunt, ut, nisi prorsum a communiore, et olim receptiore, sententia animum avocent, illa tamen probabilior reddere videantur. Has vero *Magni istius Viri* bona pace, fideque, ipsis Ejus retentis verbis, hic libuit transferre. Prius autem, pro candore suo singulari, fatetur, alteram esse communiorem sententiam, quae statuit, unum tantum esse Archangelum, eundemque increatum, DEI FILIUM, et a D. DANNHAVVERO, et D. SEB. SCHMIDIO, receptam. Sed, ut sibi liceat, salva in Praeceptores suos reverentia, expressam in thesi l. c. doctrinam longe probabilioram judicare, expetit. Nam 1) dicit, ipsum, ut Angeli, ita et

Archang-

Archangeli, nomen ordinarie Angelum notat, a quo significatu, sine gravi ratione, discedendum non est, 2) Archangelus ille proprio nomine Michael vocatur, quod nomen non DEO, sed creaturae, vel homini, vel Angelo, proprie competit, quippe ei grammatice proprium. A qua proprietate longemius, sine gravissima ratione, recedendum est. 3) Describitur Archangelus, tanquam persona, a Filio Dei diversa, loco in thesi allegato; Vbi tuba Archangeli, sine grandi ἀρχαγγελία, de Tuba ipsius Christi intelligi nequit. Quam absurdum enim in humanis est, Principem, quandam suam urbem ingredientem, tubam inflare ipsummet, ad adventum suum significandum, tam absurdum est, Christo in simili hoc attribuere. Tribuitur autem Archangelo inclamatio tubae, non, quasi is solus Christum adventantem inclamaret, sed, quod, ceu reliquorum Angelorum, Christum praecedentium, Dux et Princeps ceteros ducat, et, quo quisque loco inflare tubam, et advocare ad iudicium mortuos debeat, mandata distribuatur. 4) Probatum idem a nimis manifesta plurium Archangelorum nominatione Dan. X, 13. Haec omnia singulaque in litera clarissima, in meras improprietates convertere, et verba contorquere, coguntur, qui Christum Archangelum esse, propugnant. Ita, solidissime et probabilissime stabilita thesi, objectioni, ex Apoc. XII, 7, sq. desumptae, occurrit, dicens: Ad hanc facile responderi posse. Et Angelis ipsis, bonis, et malis, victoriam ascribi, immo, ipsis hominibus fidelibus, quanquam his virtute Christi, Dan. X, 13. Eph. VI, 13. Imprimis vero, cum de protectione et defensione fidelium adversus insidias Satanicas, ut hoc Apoc. loco omnino de certamine bonorum et malorum, pro et contra Ecclesiam, tribus primis a nato Christo seculis, eandem insidiis Satanicis varie oppugnando, et tamen per Angelos creatos custodiendo, sermo est, haec officia Angelos creatos obire posse, evidenter probatur ex Dan. X, 13, 20. Jud. v. 9. Haec ille VIR Celeberrimus, jucunde non minus, quam, uti solet, erudite.

§. XII.

In superioribus diximus, hominum quoque ministerio, DEVM in voluntatis suae revelatione, usum fuisse. Atque homines quidem hoc defuncti sunt officio vel verbis, iisque partim *claris apertisque*, partim *parabolicis, vel factis*, cum *Symbolis* haud raro *conjunctis*, vel ipsis denique *scriptis*. Quicquid autem, in hoc revelandi munere versati, praestiterunt, id, vel DEO nominatim mandante, vel interne a SPIRITU S. impulsu, fecerunt; isque ultimus revelan-

velandi actus a piis priscis doctoribus aliquando *Enthusiasmus*, vocabulo in bonam significandi partem flexo, dicitur, de quo paullo post plura. Sed ita *claris* atque *apertis*, mandato DEI, verbis Moses, ad seniores populi Israelitici missus, liberationem ipsis a duro Pharaonis jugo annuntiare debuerat, *Exod.* III, 16, 17, et Pharaoni, v. 18, V. 1 sq. VII, 2, Sic II. *Samuel.* VII, 4, 5, Nathan divinum accepit mandatum, Davidi, ne DEO templum extrueret, dissuadendi. Et *Jeremias* populum DEI ad poenitentiam revocare c. I, 17. III, 12. VII, 2. XVI, 1, 15, 16, item *Ezechiel* III, 1, *Jonasque* c. I, et III, juebantur. Cum his conferratur *Es.* c. LVIII, 1, sqq. PARABOLICIS vero verbis DEI voluntatem eos manifestasse, exempla, passim obvia, declarant. Sic enim lapsus Nathan Davidem parabolicis verbis redarguit, II *Sam.* XII, 1, sqq. et *Esaias* V, 1. sq. γεραφικῶς plane ac serio, tum almam DEI, erga vineam suam spiritualem, benevolentiam, tum hujus pertinacissimam contumaciam decantavit, et *Ezechiel* c. XVII, per parabolam, de duabus aquilis, vineaque plantata, et crescente, desumptam, quae non vigeat, declarare debuit, ab Rege Babylonis, translato in Babyloniam Rege Jechonia, Zedekiam in ejus locum constitutum iri, qui rupto foedere, ad Regem Aegypti profugus, in manus Nebucadnezaris tradendus, atque Babylonem sit perducendus, addita promissione de CHRISTO, veluti surculo, in monte plantando, fructusque laturo, ac longe lateque se diffusuro. Haud aliter c. XXIII, et XXIV, iteratam Israelis malitiam, et severissimam ejus poenam, parabolice delineavit; quemadmodum, c. XXXIII, Prophetam cum vigile comparavit. Quibus addere nonnulli voluerunt, quae visae sunt ipsis, parabolas, *Es.* XXI, LIX, 6, 7. LXIII, 1, 2. *Ezech.* XIX, extantiores, quas jam examinare nobis non licet. De his tamen videndus D. CALOVIVS *Bibl. Illust.* ad h. l. Quod autem et FACTIS, ut supra diximus, SYMBOLICIS, Prophetae voluntatem divinam, DEO ita jubente, revelarint, exemplis pariter clarissimis constat. Sic enim *Esaias* c. XX nudus discalceatusque incedens, facto hocce Symbolico, Aegyptios, Aethiopasque ab Assyriis in captivitatem abductum iri, praedixit; ut *Jeremias* c. XIX per lagenam testaceam, contractam, Hierosolymitanum excidium, populique interitum, et, c. XXVII per jugum, ipsius primum collo appensum, tandem vero ad quinque, in Edom, Moab, Ammon, Tyro et Sydone, Reges missum, instantem illorum a Nebucadnezare oppressionem, et c. XXXII, carceri inclusus, praedicta Zedekiae captivitate, agri symbolo, a propinquo empti, reditum e captivitate significavit. His adde similia ejusmodi facta symbolica, *Jer.* XXXV, XLI, *Ezech.* IV, V, XII, XX XVII, 16, 17, et plura.

G

Non-

Nonnulla quidem facta illorum ita sunt comparata, ut honestati, et Propheticae gravitate repugnare videantur, e. c. Ezech. XX. CALOVIVS noster *Bibl. Illustr.* ad h. l., cum P. P. quibusdam, AMBROSIO ad *Pf.* XXXIX, HIERONYMO, CYRILLO et HAYMONE, prorsus nudum incessisse Prophetam, existimavit, eo, quod in portentum factus dicatur. Ex Judaeis vero, MAIMONIDES et KIMCHI, non reapse, verum in visione solum, id obtigisse contendunt. Ego vero neutri assensum ferim parti. Nam signum, ad Aegyptiorum Aethiopumque declarandam nuditatem, esse debebat Propheta. At singulos tamen omnibus prorsus dispoliatos fuisse vestibus, quis credat? Interim tamen ostento potuit esse Propheta, contra consuetudinem amictus a lumbis suis elicito, et a pedibus calceamento, solutus. Neque omnis ex textu evincitur nuditas, sed illa duntaxat ab DEO praecepta, quoad cilicium et calceamenta, ut tamen, quoad illa, recte dicatur nudus, per *συνεκδοχὴν*, totius pro parte, ut, *1. Sam.* XIX, 24. Saulus, cujus nuditas non erat *ὀλική*, sed de ornatu militari, quo exuebatur, intelligenda venit. Sic quoque vox, *ἐπενδύτης* *Jo.* XXI, 7, non integram designat nuditatem, sed illam duntaxat vestem, quae aliis superinduitur, ut pallium, toga. Et ita nudi dicuntur male vestiti, *Job* XXII, 6. XXIV, 10. *Matth.* XXV, 36, 42. *Jac.* II, 15. Quibus equidem de causis arbitror, Jesaiam non alia de causa, quam ob exutam Propheticam togam, et remotas vestes exteriores, interiore amictu retento, nudum posse dici. Quod apud alias gentes recepti fuerit moris haec nuditas WITSIVS l. c. p. 89, ostendit. Vid. GLASSIVS in *Rhet. S. L. V. Tract.* l. c. 16, p. 456. Omnium vero minime probabile est, in visione tantum hoc accidisse Vati, cum alioqui consilio suo excidisset Deus, significaturus isthoc facto Aethiopum Aegyptiorumque nuditatem ut aliis eam indicaret. Postremo SCRIPTIS voluntatem DEI hominibus explicuerunt Divini Vates, ut humanae memoriae infirmitati consulerent, oraculorumque divinorum memoriam per secula omnia integrum conservarent. Quod vel *tabulis*, publico aliquo loco affixis, *Hab.* II, *Jes.* XXX, 8, vel *voluminibus et libris* *Exod.* XVIII, 14, *Deut.* XXXI, 19, *Esaia.* XXX, 8. *Jer.* XXX, 2, XXXVI, 2, 28, *Ez.* VIII, 1. peregerunt.

§. XIII.

Haec autem vel *expresso mandato divino*, vel *interno Spiritus S. impulsu extraordinario*, effecerunt, qui et alio nomine piis Veteribus in bonam partem sumpta voce, *Enthusiasmus* dicitur. Est autem alius *Naturalis*, alius *Praeternaturalis*, alius *Supernaturalis*. Naturalis iterum bifariam pro subjecti conditione spectandus venit. *Vel enim est in homine sanae dispositionis corporis, mentisque*

mentisque, ac idem est, atque excellens et singularis quidam Ingenii ardor, mentisque acumen, vis atque impetus, quo ea peragit, quae, nisi singulariter juvante Deo, praestari non posse videntur. Huc nonnulli *Enthusiasmum* referunt *Divinatorium*, quo quis facultate pollet divinandi eximia, eximiis naturae viribus, ingeniique acie suffultus, neutiquam vero humanae prudentiae sagacitatisque limites transcendente, distincta tamen a vera fatidica, tanquam solis vere θεοπνεύσις relinquenda. Tum quoque *Philosophicum*, qui et aliis *Contemplatorius* dicitur, cujus quis ope, in profundas sese contemplationes immergit, avocata ab exteris, ad interna objecta contemplanda, mente. Vel etiam *Rhetoricum*, a mira et singulari facundia sic dictum; Nec minus *Precatorium*, qui in eo versatur, ut in precibus, ad DEVM fundendis, quendam velut extraordinarium ardorem animique pietatem ostendat. Quin etiam *Poeticum*, qui eximia quaedam est in argumenti carminumque inventionem excellentiam. Quibus addunt et *Musicum*, quo animi auditorum ab excellentibus, in arte sua, Musicis, extimulantur. Tum et *Martialem*, seu *Eristicum*, quo, ad duriora quaevis pericula subeunda, adversaque patienter ferenda, abripi solemus. *Ἐρωτικόν* denique, seu *Amatorium*. vid. D. PRAESES, in *Lectiōibus MSS. Anti-Fanaticis, de Enthusiasmo*, MER. CASAUBONUS de *Enthusiasmo. et D. D. GERDESIIUS de Enthusiasmo*, D. D. JAEGERUS noster in *disp. de Enthusiasmo Moderno*. Sed idem hic *Enthusiasmus*, ampliore notione acceptus, aegroto quoque inest, per corporis mentisque pravam vitiosamque affectionem et conditionem, e praevalentis atrae bilis particula, mania, catalepsi aut epilepsi, contractam quo ita mens corrumpitur affectu, ut mira prorsus, captumque humanum prope excedentia, ab aegroto visa, narret, Angelorum colloquia, coeli admirandam structuram, Paradisi, DEIque magnificentiam, amplexus CHRISTI Servatoris, mandata divina homines ad poenitentiam exhortandi, futura praefagiendi, Ecclesiam purgandi, et his similia, sibi injuncta enarret. Vnde et Medicis hic morbus *Enthusiasmus* audit atque ἔκστασις. Vid. *Celeb. D. D. WEDELIUS in Disp. Jen. 1690 habit. de Catalepsi, rarissimo affectuum*. De Praeternaturalis, falsi atque fictitii, definitione et descriptione vid. B. D. NEUMANNUS *Theol. Aph. p. 144*. Quem autem nostri plerique omnes dividunt in *crassiorem*, quo ii pertinent cuncti, qui, repudiato Sacro Scripturae Canone, seipso Prophetas et CHRISTI Apostolos, iis excellentiores, immo, ipsum CHRISTVM et SPIRITVM S., esse, impie prorsus somniant; *subtiliorem*, quorsum ii referendi, qui particulam divinitatis homini naturaliter inesse, fingunt, unde omnis illumina-

tio, Justificatio, Salvatio denique ipsa, sine verbo et Sacramentis, resultet: ac denique in *subtilissimum*, quem ii fovent, qui, quamvis magnifice de S. Codice loquuntur, corde tamen ἀμείστοις revelationibus plurimum tribuunt, expectantque prius voluntatis emendationem, quam intellectus, illuminationem. Id quod hodierno die cum primis proh dolor! in Pietistis, antiquum recoquentibus Enthusiasmum,prehendimus. Qui enim negant, homini, moribus improbo, verum tamen per Scripturam Sacram de mysteriis edocto, veram illuminationem, rerumque sacrarum notitiam inesse, ut ore ipso conceptui divino conformis sit, velint nolint, vi hujus hypotheseos, admittere coguntur, ejusmodi hominem, vel plane convertendum non esse, vel si debeat converti, absque verbo externo, per internum quoddam, externo Sacrae Scripturae verbo contradistinctum verbum, et quandam divinitatis particulam, quae medium sit illuminationis, converti oportere etc. quod est ipse Enthusiasmus. Neque id Calumnia est, uti criminantur Sanctuli, sed recipio me ad decorum illum ZIEROLDUM, et Enthusiasmi egregium Lysippum Lysium, suis in Synopsis passim, talia inculcantes. Quibus graculis omnino adde sis graculum JOACHIMUM LANGIUM, Prof. Halensem, quem Enthusiasmo esse obnoxium, erudite ostendit D. D. RUMPAEUS *Prodr. Dissp. Anti Lang.* p. 48. Ne hilo his meliora docet CHRISTIANUS THOMASIVS, *Dissp. contra Carpz. de Jure decidendi Controvers. Theolog.* Halis 1701 edit. p. 44. Vbi omnes, inquit, *fideles esse Θεοπνεύστους, et neminem posse sine Θεοπνευσία S. Literas intelligere*, ne quid de ARNOLDO, DIPPONIO, aliisque dicam. Purgata ab omni impuritate Enthusiasmi voce, dicimus, et *Supernaturalem esse, qui statum hominis dicit, in quo Prophetis, Apostolis, et aliis nonnullis vere Sanctis, Spiritus S. immediata et interna inspiratio, Θεοπνευσία, illuminatio, impulsus, praeter Verbum DEI eternum, conceditur*, ut Regi Sauli I *Sam. X, 10. XI, 6.* ejus nuntiis c. XIX, 20. Davidi II *Sam. XXIII, 2, 3.* Jeremiae, qui impulsui impar resistendo erat c. XX, 7, 8. eumque eleganter comparat cum impetu hominis, vino victi, c. XXIII, 9. Michae III, 8, Debrae, *Jud. V, 1.* sq. Gideoni *Jud. VI, 34.* Jephthae, *Jud. XI, 29.* Simfoni, *Jud. XIV, 6. XV, 14.* Elisabethae, Mariae, Zachariae, *Luc. I, 4, 47, 67, sq.* Simeoni, *Luc. II, 25, 27.* Apostolis in Pentecostes festo congregatis, *Act. II, 4.* Fidelibus, *Act. X, 44.* Paulo, *Act. XVIII, 5,* denique omnibus viris *Θεοπνεύστους* II Petr. I, 21.

SECT.

SECT. II.
POLEMICA.

§. I.

Aboluta Thetica Tractatione, jam instituti ratio dispicere, quid illi possit opponi, suadet. Melioris itaque ordinis causa, monemus, quosdam in illam, defectu, alios excessu peccare. Defectu omnes illi, peccant, qui negant α) DEVM $\alpha\mu\sigma\omega\varsigma$, sed tantum per Angelos, suam revelasse voluntatem. Hunc olim erravit errorem SIMON EPISCOPIUS *Instit. Relig. Christianae* L. II. c. I. Sed cum in hac ipso Tractatione nostra C. II. §. 2, 3. sqq, multis contrarium, et rationibus, ut puto, firmissimis, et exemplis haud paucis demonstraverimus, diutius his immorari nolumus. Evolvi autem merentur Scripta CALOVII Anti-Sociniana, et quotquot fuerunt eorum, qui contra eosdem egerunt. Sic β) quoque in defectu peccant, qui statuunt, Spiritum S. in V. T. quoad $\chi\alpha\rho\iota\sigma\mu\alpha\tau\alpha$, dona, et operationes nondum fuisse cognitum. Hujus sese opinionis participem reddidit HERMANNUS DEUSINGIUS, *Demonstrationum Allegoriae Historicae V. et N. T.* P. I. p. 25, quem et novissime CELEB. D. D. GRAPIUS, praematura cheu! morte, Ecclesiae militanti ereptus, *Theol. Controv.* P. I. *Quaest.* XIV. et XXIII, eruditissime redarguit, nobisque otium fecit. Defectu pariter peccarunt ii, qui in eo demonstrandi genere occupati fuerunt, Revelationis divinae, si non omnes, plerosque tamen, modos institutis gentium et Aegyptiorum originem debere suam. Quo tendit omnis fere MARSHAMI et SPENCERI conatus, prout jam supra coepimus monere C. III, §. 6. p. 37. et mox novam pluribus haec persequendi occasionem nanciscemur. Nec minus excessu peccant, qui α) non modo Spiritum S., Angelica forma specieque apparentem, multa revelasse, ut COCCERIUS, *Comm. ad Dan. X, 5. et ad Zach. I, 9.* CHRISTIANUS item RAVIUS, in *Chronologia Nova*, sed β) etiam hodieque praeter SScripturas dari revelationes, & Angelicas visiones, immediatas, multi somniaverunt, et ad huc somniant, ut infra perpaucis ostendemus.

§. II.

Classis itaque I. est eorum, qui ut modo dixi, quosdam ex Gentibus revelationis divinae modos attraxerunt, ut MARSHAMUS ET SPENCERUS. Sed, ne injuria Viros tantae celebritatis videamur affecisse, ipsorum mentem verbis

ipforum explicemus. Sic enim SPENCERUS, qui nobis loco sit omnium, *de Legibus Ebraeor. Ritual. L. III. disp. de Vrim et Thummim c. III, Sect. X* disserit: *Institutorum Mosaicorum partem multo maximam e consuetudine aliqua, quae apud Aegyptios, aut alias, e vicinia, gentes inveteraverat, ceu fonte praecipuo, dimanasse. Deus enim Seculi mores haud paucos, vitii nullius facile postulandos, Israelitis integros reservavit paene, eosque legis divinae sanctione corroboravit, ne, si res novas tantum et inopinatas in morem et cultum induxisset, Ebraeorum vulgus perturbaret, qui moribus aliis vivere solebat, et in mores gentium ardore praecipiti ferebantur. Multas Ebraeorum leges et ritus ab hac origine derivandas esse tot exemplis, testimoniis et aliis argumentis ostensum est, ut ea de re dubitationem omnem sustulisse videar.* Hinc temperare sibi SPENCERUS non potuit, quin hujus vi hypotheseos asseveraret, Vrim Thummimque res fuisse Gentibus apprime cognitae ante, quam, lege sancita, Israelitis concesserit DEUS, ejusdemque et naturae et usus, ac earum gentium Theraphim vel ἀληθεία et ἀγάλαμα. Sed prius astruemus veram sententiam nostram, quam ad examen argumentorum ipsius descendamus. Ac

I. Generatim probaturus sum nullos DEUM ritus a gentibus ad verum suum transtulisse cultum. Nam

1) DEI hoc repugnat *Sanctitati, summaeque Sapientiae*, cui abominatio sunt gentes, omnesque earum viae, quique omnem detestatur impuritatem. Quomodo itaque fieri potest, ut ceremonias, Diabolo consecratas, variis superstitionibus, et omni impuritate pollutas, in verum sui cultum irrepere sit passus? Aut, quis, sine voce impietatis plena, dixerit, inexhaustam divinae sapientiae abyssum tanta consiliorum laborasse penuria, ut voluntatis suae tesseram indiciumque e fordidissimis Idololatriae extis evocare sit coactus? Qui tot sapientiae Sanctitatisque suae alibi clarissima edidit specimina, quae hodieque in omnium mentibus animisque mortalium vigent.

2) Huc accedit, quod severissime prohibuit DEUS, ne quicquam populus suus cum exteris gentibus habeat negotii, ne quid ex ipsorum sacris asciscat, ne mores illorum ulla in re imitaretur, *Lev. XVIII, 2. sq.* Contra, DEUS, mandatum, aras Idolorum destruendi, *Jud VI, 25*, statuas confringendi, lucos extirpandi, sculptilia comburendi, dedit, ut simul et hac ratione omne ad idololatriam irritamenti genus pessundaret, *Deut. VII, 2. sq. XII, 30, 31.* Cujus etiam praeepti *Gen. XXIV, 3, 4.* ipsi memores erant Patriarchae. Nec infiti-

as ire SPENCERUS ipse potest, confessionem sibi extortam vel invito fuisse a veritate, Lib. III. c. 4, *In S.*, inquit, *Codice, saepe cautum est, ne Israelitae ad Aegypti semitas desisterent, ne in Aegyptum descenderent, neque iis quicquam commercii cum Aegyptiis intercederet, inde vero facile colligendum, nihil Aegypti moribus et institutis corruptius, et a vera sapientia remotius, fuisse, vel seculis illis antiquissimis.* Speciatim autem

II. Falsissimum est, Vrim et Thummim idem fuisse, quoad formam, naturam, atque Vsum, ac Theraphim et Aegyptiorum *ἀγάλμα*. Quis enim ignorat, ejusmodi imagunculas, quas, ipse vocat, garrulas, exosissimas DEO fuisse, quas et animatas a Spiritu impuro, deprehendimus Ezech. XXI, 21. nominatimque prohibitas in Decalogi praecepto II. Nec infrequens earum in malam partem est interpretatio, quando mendaces et vaniloquae appellantur *Zach.* X, 2, et pythonibus hariolisque *2. Reg.* XXIII, 24, conjunguntur. Instrumenta igitur Satanae devota, DEO accepta esse non potuerunt, nec pro aliis, quam Diis penatibus et laribus domesticis, idololatriae inservientibus, habentur *Gen.* XXXI, 30. *Jud.* XVII, 4, 5. Cujusmodi de sacratissimo illo Oraculo vel cogitare fuerit nefas. Hoc mediante responsione quadam dignatus est DEVS Israelitas nequaquam vero per imagunculas garrulas, vocem articulatam edentes. Theraphim praeterea promiscue a quovis Idololatra habebantur; Vrim et Thummim vero nemini, praeterquam Pontifici Summo, vel ejus Vicario, competebant. *ἀγάλμα* atque *ἀληθειαν* et Sacerdos et Judex portavit in collo: Thummim Vrimque, res pectoralis concavo indita, a DEO soli concessa Pontifici, rebus dijudicandis tantummodo seriis, non ludicris inserviebat. Quod vero maximum est, Thummim, ipso teste SPENCERO, l. c. c. VI, Sect. I. *τυπικῶς* officium CHRISTI Sacerdotale Regiumque adumbravit. At, ejusmodi typum CHRISTI, Deum Ethnicismo debuisse, credat Judaeus Apella, non ego. Ceterum *ἀγγραφον* quoque est. Nusquam enim locorum in S. Scripturis oraculum nostrum, vel per *imagunculam, ad formam Angeli hominisque, garrulam*, fabricatum, vel per *Theraphim*, ad morem Aegyptiorum, expressum, indeque deductum, deprehendimus, cum tamen tam solcite, tamque accurate, totum cultus sui apparatus et ornamentum definierit DEUS. Quod autem utique fuisset necesse, si vel maxime sub alio, ut somniavit nugivendulus, nomine lateret, vel eorum aliquos Deus pios sacrosque Theraphim esse voluisset, ne fluctuantes Israelitarum animi haererent, qui qualesque Theraphim, vel placerent DEO, vel displicerent, quis usus eorum esset, quisve abusus.

usus. Nefas igitur esto, sine S, Scriptura et contra eam, dicere, DEUM ejusmodi, tot tantisque obruta sordibus instrumenta suo non modo dicasse cultui, verum etiam partem illius maxime admirandam fecisse suam; Vnde *Venerandus Ecclesiae nostrae Senex, cui Pyliam DEVS concedat senectutem, D. D. FECHTIVS, in Syllog. Coll. MS. Disp. XXXVI, §. I. verissime dicit: Ipsa SPENCERI et MARSHAMI Sententia, de translatis e Gentilismo in Judaismum ritibus, admodum periculosa est. Quam enim absurdum esset, DEVM Dæmonum ritibus adeo delectari, ut eosdem in peculium suum introduceret? Quanto odio perpetuo Gentiles persequitur, hortaturque populum suum, ne eorum ritus imitetur? Annon ad Gentilium religionem allecti potius, quam abstracti, fuissent Israelitae, si vidissent, DEVM eorum cultum imitari potius, quam odio habere. Et in ipsa Sylloge Disp. XXXIV, Tes. VII, Profana et impia est JOH. SPENCERI opinio, DEVM ineptos rudesque gentilium ritus in leges suas cooptasse, ut eo facilius Israelitae et gentiles ad veriore religionem adducerentur.*

Excipit I, SPENCERUS l. c. c. III. Sect. I, *Vrim, sin minus, et Thummim res quasdam fuisse apprime cognitae, saltem quoad substantiam et usum, diu, antequam ea in ornamentorum Sacerdotalium locum et Sanctitatem vocasset DEVS, e longo videlicet usu, inter quamplurimos Noae filios invalescente. Nihil enim de illorum forma, materia, vel numero, monuisse DEVM, quem admodum, cum nihil de aureis Cherubinis singulariter monueris, non temere viri docti collegerunt, eorum figuras Mosi et populo diu antea innotuisse, ex antiquo Aegyptiorum et Patriarcharum usu, ita etiam pari lege, colligit, consuetudinem inveteratam Vrim et Thummim familiaria reddidisse, quod de iis tam curam ferat legem DEVS, Exod. XXVIII, 30. Vnde hujus oraculi originem alius, et ex Aegypti moribus, esse petendam. Resp. Falsum hoc est. Nam coepit hoc oraculum cum legibus ceremonialibus, per Mosen datis, Sacerdotio Aaronitico, et Ebraeorum Politia, ad consulendum per illud DEVM de rebus dubiis, Exod. XXVIII, 30. quarum et pars ornamentum erat Aaronis. Sed, ubi totum non existit, pars certe prior toto non erit. Nec parum impia in DEVM voce clamat, usum innotuisse, cum constet, ejusmodi oracula gentilium futilia ab infernali genio fuisse suggesta. Vfus erat consulendi DEUM, per nostrum illud, sed per illa, impuros Spiritus mendaces consulendi Zach. X, 9, 10. Hoc Deus soli vindicavit Aaroni et legitimis ejus successoribus Num. XXVII, 21, illud ubi gentium occurrebat. Hoc divinum: illud*

illud Diabolicum. Hoc religiosum, illud idololatricum *Gen. XXXI, 19, 30.* Et tamen non erubuit asserere, usu illud cognitum fuisse multo prius, quam in ornamentum Sacerdotis id vocasset Deus, cum toto coelo differant. Quod ad usum; indicet locum vel unicum idoneum, et dabimus. 2) Semetipsum destruit. Si enim Noae jam innotuit Filiis, maleis ab Ægyptiis repetitur. Potius igitur dicere debuisset, DEUM a Noae filiis, ritum hunc accepisse, quam ab Ægyptiis, tametsi utrumque sit falsum. 3) Quenam haec est consecutio? Nihil de illorum forma monuit DEUS, ergo usus eorum antea notus est; ergo plane neque explicite, neque implicite monuit, et neminem instruxit. A silentio S. Scripturae, ad negationem totius rei, N. V. C. Fortasse, cum debuerit tantum esse oraculum Politicum et temporarium, DEUS Mosen seorsim, et solum, de illo instruxit, re nobis incomperta. Caeterum haud opus fuit multis ut formam ejus describeret, quippe quae res ad legem ceremonialem et Politicam Judaicam, minime vero salutem totius humani generis pertinebat. Id tamen, vi hypotheseos suae, negant, qui idem esse, dicunt, ac gemmas et lapides. Qua de re supra. Hac igitur stante hypothesi, (stabit autem donec probabilior demonstraretur,) denuo falsum, curtam tulisse DEUM et legem, et legis mentionem.

Objic. II. c. III. Sect. II. *Cum mos iste, inquit, simulacra illa fatidica Theraphim in dubiis consulendi longe lateque per gentes invaluisset, iisque consuetudo, seculorum aliquot usu confirmata, vulgi affectus arte devinxisset, facile in eam sententiam venio, DEVM nempe veterem a Theraphim oracula petendi ritum, in pectoralis Vrim pene in variatum, Israelitis reservasse, adeoque Vrim ejusdem cum Theraphim muneris, et forte figurae, fuisse, sub nominis diversi larva, simulacrum. Cum enim DEO jam res esset, cum difficilis et pervicacis ingenii populo, ex usu longo morumque ubique receptorum impense studioso, nisi genio proprio et moribus antiquis uti licuisset, a DEI legibus institutis, tanquam novis et exoticis penitus abhorrevit voluissent. Multa itaque antiquitus usitata, (paululum autem in melius mutata,) populo duro et praefracto concessit indulgens NVMEN, ne, si studiis eorum prorsus obstitisset, in gentium semitas, moris antiqui desiderio effreni, praecipites agerentur.* Resp. In supra dictis jam monuimus, Vrim cum Theraphim nullo convenire modo, sed prorsus et summae sapientiae, et Sanctitati, divinae, ut ejusmodi ab impuro genio inspirata, malaeque notae instrumenta, suo inserat cultui sacratissimo, contrariari. Interim libens concedo, rem ipsi cum refractarii cujusdam ingenii populo fuisse, sed nullo ejusmodi modo συγκατάβασις est fingenda, quae, ut impia est, DEIque Sanctitatem violat, ita proniorem et efficacis-

H

simam

firmam, ad damnatam gentilium Theraphim venerationem mentibus inculcandam, et iis solitos pridem mores, ac sua quasi sponte animos eo propensos, validissime in superstitione ista confirmandos, stravisset viam, quippe quae hac ratione non penitus improbata, sed aliqua sui parte ab ipso Deo comprobata fuisset. Minime tamen omnium ejusmodi est indulgentia fingenda, quasi nullum aliud superfuisset DEI sapientiae remedium, eorum cultui idololatrico resistendi, animosque ab eo revocandi, cum tamen illos, lege sancita, νομοθέτης Summus, qua delinquentes poena, obtemperantes proemio, afficit, ut coercuit, ita potuit coercere vid. REIZIUS l. saepius c. p. 406.

Objic. III. c. III. Sect. III. *Theraphim nihil aliud fuisse, quam Vrim, adeoque hoc, in illius locum successisse, et provocat ad Hos. III, 4 Jud. XVII, 4, 5. Resp.* Negamus. Ad primum locum bifariam respondent Theologi, et dicunt alii, miserrimum, Israeliticae et Politiae, et Ecclesiae, statum non modo purum, sed etiam impurum l. c. describi. 2) Non omne statim, quod poena quadam aufertur, bonum est, prout ex c. X, 5, 6, clarissime potest ostendi, verum sufficit videri bonum iis, a quibus aufertur, ut hoc sentiant, qui hac afficiuntur. Alii, ut Magnus CALOVIVS, *Bibl. Illustr.* ad h. l. REIZIUS, l. c. p. 413, item SAL. GESNERUS, Theraphim per Cherubim exponunt atque Seraphim literarum \aleph et \beth , atque \daleth commutationem, Ebraeis, Chaldaeis, aliisque gentibus haud infrequentem, asserentes, SPENCERO quoque confitente, l. c. Sect. VII. Sed quid Cherubim ad Vrim, si nondum demonstratum nobis est, Cherubim esse Vrim. Quamcunque vero admittamus sententiam, nullum pessimae causae praesidium inveniatur, sed validissime poterit adductis sententiis falsitatis convinci. Quod ad alterum attinet exemplum, Jud. XVII. idololatricum illud est, nec temere laudandum, in quo tamen nihilominus SPENCERUS asyllum patrociniūque malae causae suae quaesivit. Huic enim Idolo ejusque cultui muliercula quaedam dedit originem, cui quum suffuratus argenteos siclos filius, isque atrocissimis diris devotus, matri quae fecerat, falsus fuisset, sententiam in pejus mutavit mater, JEHOVAE siclos dicendo, contra praecceptum, de sculptili fusilique non conficiendo, nec satis expensa lege, aut oraculo veri DEI consulto. Vnde, v. 6, illud improbatum fuisse factum, haud obscure deprehendimus, collato cum *Exod. XX, 4, Deut. VI, 15, XXVII, 15.* Neque consilii ratio, quantumvis non mala fortasse, ab εἰδωλομανία, Micham unquam absolvet, quemadmodum nec Israelitas, aureum DEO vitulum fundentes. *Ez. XLII, 8.* Nec cuivis, promiscue, aut ubivis locorum, lex divina sacra peragere, nedum imitari concessit, *Lev. XVII,* cujus expertes non erant Rubenitae at-

que

que Gaditae, quos ab lege divina defecisse, putabant Israelitae *Jos.* XXII. Quae cum ita sint, cum contra legem Dei gravissime peccasse patet. Accedit, quod primo filium suum primogenitum, deinceps Levitam, ad sacra peragenda, adhibuit. Quamvis autem non negaverim, Patriarchis, lege nondum promulgata ceremoniali, hoc fuisse concessum, ea tamen lata, soli Aaronis Familiae, leges divinae vindicari t. *Exod.* XL, 12. XXVIII, 43, XXIX, 44, *Deut.* XXI, 5, *Num.* III, 10. Idque docuit eventus. Nam haec Michae *ἰδωλομανία* occasionem Danitarum posteris, et a Deo deficiendi, et eam ad posteros propagandi, dedit. Quod si vero sani quid continuisset Michae cultus, non tam expeditam ad cultum falsum stravisset viam. Neque unquam hinc probabitur, Deum respondisse, sed potius Levitam ejus responsi fuisse autorem, persvasissimum habeo. Demus autem quodammodo, etiam Danitas edita hinc oracula accepisse, adeone insolens olim fuit, etiam Diabolum vera revelasse? vid. superius C.I. Sect. II, §. 7. p. 18.

Objic. IV. c. III. Sect. VII. *Vrim et Theraphim voces esse, propinqua significationis affinitate et similitudine conjunctas, atque cognatas. Vrim enim non lumina proprie et primario, sed ignes, significare, quemadmodum Theraphim, quae vox sit Ebraea, aut Chaldaea, et, pro Seraphim (levi et frequenter usitata mutatione S, in T.) apud Orientalium non nullos antiquitus usurpata. Seraphim autem ignes, urentes, aut inflammantes, notare, in qua vocis significatione admodum est copiosus. Sed Resp. Quaecnam haec est ratio concludendi: Nomine conveniunt, ergo et ratione originis, usus, formae etc. conveniunt? Contrarium alii ostenderunt, de quo vid. BUXTORFF, in *Lex. Talm. et Cl. DOM. PAULVS MARTINVS ALBERTI in Porta Linguae Sanctae*, qui recentiores de iis vocibus scriptores, sententiasque multas, sub suis radicibus, recenset. Porro adhuc sub iudice lis est, Theraphimne idem sint, qui Cherubim. Quod ipsum si demus, quonam satis idoneo probabitur testimonio, Theraphim idem esse ac Vrim. Ponatur, Theraphim garrulas fuisse imagunculas, hominis forma praeditas, quid haec ad Vrim, cum nondum sit demonstratum, Vrim pariter imagunculam fuisse. Humani, quod SPENCERUS profert, testimonii auctoritatem eatenus admittimus, quatenus Codice S. fulcitur. Id vero totum negavit LVDOV. de DIEV, apud WITSIVM *Aegypt. L. II. c. 3, p. 75*, edit. Amstel. neque Theraphim admittit ceu vocem Chaldaicam, aut Ebraicam, sed Arabicam, a *תר*, uberem et affluentem reddere, exprimere. Hanc significationem in Aethiopica quoque habere lingua, ubi idem dicat, ac restare, et reliquum esse. Vnde Theraphim Dii penates vel Lares dicantur, qui rem familiarem abundare faciant. Quae si vera sunt, nulla significatus inter utram-*

que vocem affinitas intercedit. Ac, tamen, recte monente WITSTO l. c., ex Ægyptiorum voce Serapis, cum KIRCHERO, deducatur, nondum tamen evictum est, Flammantes denotasse. Serapidis enim vocabulum, prout ex NYMPHODORO WITSIUS observat *cistam bovis, uti σωε, cistam, ἀπ βοzem notet, indeque σωράπις Ægyptiis nominari.*

Objic. V. c. III. Sect. VIII, IX. *DEVM oracula per Theraphim edidisse, tum, cum Vrim nondum viguerit, aut forte temporis iniquitas omnem ad Pontificis Vrim aditum praeclusit. Idque probat ex Jud. XVIII, 5, 24, Gen. XXXI, 30. tum, quia saepius per Angelos revelaverit, et autoritate JACOBI GAFFARELLI, in Lib. Inaud. Curios. c. III, qui dicit, Theraphim figuras fuisse, a Mose, Legislatore, permittis, a Labane aliisque orientalibus, ante Legem, pie usurpatis, quibus mediantibus voluntatem suam DEVS non raro patefecerit, et Cherubinorum et Seraphinorum figuras fuisse generis ejusdem Resp. 1) Exempla nefaria, iniqua et εἰδωλομανίας sordibus inquinata nihil probant. Nihil 2) ex l. c. aliud probabitur, quam l. Levitam, oraculo non consulto, vel Diabolum, per oraculum illud respondisse Danitis. 3) Exemplum Labanis ipsi adversatur. Jam tum temporis enim, si Theraphim res nota fuit, quomodo Laban habuit ab Ægyptiis, qui nunquam Ægyptum, sed Mesopotamiam, inhabitavit? Hinc probabiliori utique modo, contra ipsum colligo, ergo Ægyptii ab Israelitis et Labane habuerunt.*

Objic. VI. c. IV. Sect. I, II. *Thummim tamen idem esse ac Ægyptiorum Ἀλήθεια, atque ἄγαλμα, cum uterque rem illam collo suspensam gestaverit Sacerdos. Resp. Ne minimam quidem hactenus inter utramque vocem significatus convenientiam offendo. Thummim enim Perfectiones, ut Ἀλήθεια veritatem designat. Neque nominis mutandi video rationem, quod, ob ἀναλογίαν, qua res illae inter se gaudent, ita exprimere voluerit DEUS, praesertim cum in Ebraeo habuerit, si horum voluisset observare harmoniam, vocem apprime huic affinem ΣΩΝ. Ipse profecto SPENCERUS ostendere non potuit rationes, quibus factum, ut ab Ebraea voce, alteri analoga, abstinerit DEUS, qua nulla poterat luculentior reperiri. Neque Vfus convenientiam perspicere possum. Ægyptiorum enim sacerdos, de collo signum gestabat, ut Judex simul atque Sacerdos, ad indicandum officii sui integritatem, judiciiique veritatem. Atqui Israelitarum Sacerdos non collo id gestabat, neque ut Judex, verum ut summus Pontifex. Quae reliqua sunt impiae hujus SPENCERIANAE ἑποθέσεως figmenta, WITSIUS dabit. Hoc tamen maximopere dolendum, quod nulla sit tam devota hypothesis, quae non suos sortiatur vel promotores atque*

atque patronos, vel saltem conciliatores, qui sibi egregiam navasse operam videntur, si aliorum pugnantes, atrocesque opiniones vel emolliverint, vel conciliaverint. Huc citra iniuriam retuleris JO. HENR. MAJVM Doctorem et Prof. Theologum Giff. qui in *disp. de Imagine Veritatis Fatidica et Juridica* (e qua illius hac de re sententiam, tanquam inter SPENCERI et communioem mediam, ex illa nobis ἐπισημειωσις exhibet DN. REIZIUS l. c. p. 403.) sic differit: *Pontifices Aegyptiorum gestaſſe insignia quaedam, de collo dependentia, quae ex usu, cui inservierint, vocata fuerint Veritas, et Veritatis Imago, item speculum &c. atque sic quoque Mosen. Et hoc suum insigne ἀγαλμα Mosen, translato in fratrem Sacerdotio, indidisse in pectorale duplicatum et concavum Aaronis, Exod. XXVIII, 30, ut esset instrumentum externum dando oraculo.* An igitur multo meliora, quam SPENCERUS, docuerit MAJUS, eaque de causa Pientissimus, qui Vrim et Thummim habeat in pectore, saluari mereatur, ut REIZIUS contendit, aliis dijudicandum relinquimus.

§. III. Ad II. CLASS. excessu laborantium, ut nempe redeamus in viam, spectant omnes illi, qui, ut supra diximus, statuunt: α) SPIRITUM S. Angeli forma apparuisse, atque revelasse divina mysteria, β) Immo verum hunc esse DEUM negant, sed pro praecipuo quodam Angelo, ministro, et revelationis divinae nudo nuncio, impie habent; γ) aut Eundem Sanctorum Angelorum genus, ordinem atque turmam plurium, esse affirmant. Primum ex his defendit CHRISTIANUS RAVIUS in *Nova Chronologia, quem confutavit peculiari opera D. CALOVIVS in Solida Discussione novae Chronologiae Ravianae*, qua nobis otium fecit: nec non COCCESIUS loco supra excitato. Secundum statuit JO. BILDIVS sive Biddellus, *Wattona Glocestricensis Anglus in Confessione Fidei de Trinitate Anno 1648, Anglice edita, et A. 1691, Londini recusa Art. VI.* Tertium autem affirmat CHRISTOPHORUS SANDIUS, Christophori Filius, in *Problemate Paradoxo, de SPIRITVS Annon per illum Sanctorum Angelorum genus colligi possit?* etc. Quos, praeter alios, *Incomparabilis ille Vir, quem tota purior Lutherana Ecclesia luget, B. D. GRAPIVS Theol. Recens Controv. P. I. c. II, Quaest. XXI. p. 16c.* percensuit, idemque abunde refutavit. Eos, cum nostri non jam sit instituti, mitto facimus, hoc saltem monentes, ut locum Scripturae vel unicum afferant, quo affirmetur perspicue, ac demonstratur, SPIRITUM S. Angeli specie, vel ut ipsum Angelum, sese revelasse. Excipit quidem

Coccejus l. c. Dan. *Vbi que, inquit, testatur DEVS, opera sua et CHRISTI, esse etiam opera SPIRITVS S. sui.* Resp. Si haec universaliter sumantur, falsa est. Nam opera ad intra personalia, quae ad ipsum DEUM ita tendunt, ut pro princi-

pio agendi, non essentiam tribus personis communem agnoscant, divisa sunt, communia non sunt, sed *vel uni* tantum personae propria, ut, *generatio* et *missio*, quae actio soli unice PATRI convenit; *vel duabus*, ut *spiratio*, et *missio Activa SPIRITVS S.*, quae PATRI et FILIO competit. Sic et opera personalia ad extra, ad unam certam personam, primario, appropriative, et *ὀικονομικῶς*, non ad reliquas, sunt referenda. Sic, assumptio Humanitatis in *λόγῳ ὑπόστασι*, opus ad extra personale est, soli tribuendum FILIO, quo eadem refero, cum KÖNIGIO Nostro, *Theol. Pos. p.m. 42.*, apparitionem FILII DEI sub forma et habitu, tempore V. T., cuius ipsissima verba placuit exhibere. Hinc autem SPIRITUM S., consentiente Theologo nostro, iure excludimus. Opera autem ad extra essentialia, concedo, omnibus tribus personis esse communia, illa vero ad extra personalia non item. Atque ansam huic objectioni, (quod ideo moneo, ut de connexionione constet) dedit communis, aut potius plurimorum Interpretum, consensus l. c. Dan. X, agi de Angelo Increato. Hinc Cocceus probat, cum id opus sit divinum, esse etiam SPIRITUS S. Vnde *πρῶτον* hoc *ψεῦδος*, et operum ad extra personalium cum operibus ad extra essentialium confusio, patet.

Excipit II. SPIRITUM S. docere Prophetas, et a CHRISTO impetratum esse, et ab ipso mitti. Resp. Quid tum? Docet SPIRITUS S. Prophetas illuminando, iis inspirando, et in illorum intellectu et voluntate operando, voluntatem videlicet flectendo ad obsequium praebendum fidei, sanctificando, effective per *χρησμάτα* sua, non vero, personaliter visibili in Angeli specie apparendo et docendo. 2. Sam. XIII, 2. 2. Petr. I, 21. Nec SPIRITUS S. a CHRISTO impetratus atque missus dicitur, ut visibiliter sub Angeli specie appareat, sed, ut nobis dona sua Spiritualia largiatur, et doceat non visibiliter, sed per singularem suam ac supernaturalem operationem et inhabitationem.

Excipit, III, *Quia, loquens, a Michaele distinguitur, et nullus Angelus minister dicere potest, se solum stare contra Principem Persiae, i. e. Diabolum, aut Angelum Diaboli, et non habere adiutorem nisi Michaelem?* Resp. Concedo loquentem semetipsum a Michaele discernere, at quacnam, quaeso, ratio, ergo persona illa est divina, ergo SPIRITUS S. Contrarium ostendit MAGNIF. D. D. FECHT. l. c. C. III, Sect. I. §. II. qui locus huc omnino referendus est, quo discrete astruit de Angelis dici posse, CHRISTI virtute suffultis, contra Diabolum stare, et victoriam reportare. Ceterum injuriosus est atque blasphemus in SPIRITUM S. Summum DEVM, ejusdem, ac FILIVS DEI, potentiae et essentialis Majestatis, quando dicit, FILIO DEI, hac ratione, potentia esse minorem, neque solum ipsum praevalere posse contra Diabolum, nisi adjutus fuisset a Mi-

Mi-

Michaele, quem probabilissime Angelum esse creatum D. D. FECHTIUS l. c. offendit, conf. WIRSIUS in *Misc.* S. p. 38 sq. CALOV. *Bibl. Illust. ad Zach.* I, fol. 926. et ad *Dan.* l. c. fol. 675. §. IV.

Huc referendos esse, supra monui, et illos omnes, qui praeter Sacram Scripturam hodieque revelationes ἀμείσως, Angelicasque visiones divinas, ut, dari, credunt, ita expectant. Quorum nomina recensere integrum nobis non est, neque chartae angustia permittit. Praeterca plurimi justis id commentationibus praestiterunt, illi inprimis, qui contra Quackeros calamum strinxerunt. Inter novissimos AMBROSIIUS SEHMANNUS, personatus, qui est JACOBUS ZIMMERMANNUS, quem D. D. HEBERLINUS, *Theologus Wurttembergicus in der Schriftmäßigen Wiederlegung* A. 1684, in ruborem dedit. Hunc septennio post secutus est D. WILHELMUS PETERSENIUS, A. 1691, edito scripto (cui ansam dedit VIRGO quaedam NOBILIS ASSEBURGICA, Enthusiasmo correpta) *Sendschreiben an Etliche Theologos, samt einer Specie facti.* Quo in scripto, eandem pro Vate vera atque Prophetissa, ab ipso DEO ἀμείσως afflata, habere non dubitavit. Cui tamen sese anno eodem 1691 mascule opposuit inter alios B. D. JO. FRID. MAYERUS scripto, *Prüfung des Geistes/ so sich durch ein Adeltiches Fräulein iezo offenbahren soll.* In primis autem hoc nomine laudandus est D. D. WINCKLERUS in *Bedencken über die Sendschreiben et speciem facti* A. 1692, quem ANONYMUS 1693, in *denen Anmerkungen über Wincklers Bedencken/* allatravit. PETERSENIUS accesserunt SPENERUS, frivolo suo iudicio A. 1692, edito, *Henr. Kratzensteinius, Anna, Eva, Jacobi et Magdalena quaedam, ancillae Halberstadii, Anna Margaretha, Joanna, a M. Andrea Achille potissimum pro divina Vate culta, itemque Catharina quaedam, Praetorii ancilla, Quersfurtenensis, Elisabetha quaedam, Spiritu se agi, Spiritum ex se loqui, ad calamum sibi dictare, atque in ἐκστασι abripere, somnians.* De quibus vid. LOEBERUS, in *der Historischen Erzählung/ und Bedencken von Offenbahrungen/* PFEIFFERUS in *Anti-Enthusiasmo*, et quotquot contra Fanaticos, Enthusiastas, Quackeros, scripserunt. Sed, quam vana haec omnia sint, quae hactenus ab ipsarum revelationum ἀμείσως Patronis fuerunt in medium prolata, clarissima S. Codicis testimonia ostendunt, ut *Dan.* IX, 24. *Es.* LIV, 15, quibus docetur adveniente Messia, et post Apostolorum, atque Evangelistarum excessum, revelationes ἀμείσως omnes expiraturas, totumque illarum περιόδον decursuram, *Matth.* XI, 13. Id quod ipsum edocta bene fuerat *Samaritana Job.* IV, 25, Messiam omnia revelaturum, et D. PETRUS II Ep. I, 3, tanquam id factum, palam dilaudat, DEVS omnia nobis largitus est, quae

ad

ad vitam et pietatem pertinent. Quod enim CHRISTVS ἀποπροσώπως in-
 chevavit *Job.* XV, 15, idem διακονικῶς per Evangelii sui praecones, multis exe-
 cutus est, *Job.* XIV, 26, XVI, 13, *Act.* XX, 27, qui nobis voluntatem de salute no-
 stra, per praeconium illius auditu exceptum, ac nobiscum per literas communi-
 catum, in corda nostra alte inscripserunt, *Jerem.* XXXI, 33, 34, *Ebr.* VIII, 10, 11,
Es. LIV, 13. Hinc fideles dicuntur Θεοδιδάκτοι, vel, quod verbum DEI ab ipso
 DEI FILIO audierint, *Job.* VI, 45, *Ebr.* I, 2, ἀποπροσώπως docente, vel, quod
 sermonem acceperint, non, ut sermonem hominum, sed, ut sermonem DEI, 1
Thess. IV, 9, coll. cum c. II, 13, vel, quod χρίσμα a SPIRITV S. acceperint, per
 verbum eos illuminante, atque omnia docente 1 *Job.* II, 20, 27, per dona revelatio-
 num et administrantia, in uberrimos totius Ecclesiae usus valitura, 1 *Cor.* XII, 4, 7.
 Et certe, si restarent quaedam revelationes immediatae, Apostoli frustra essent hor-
 tantes nos, ut Verbi DEI depositi curam haberemus, alius illudque traderemus, 1
Tim. I, 1, 14, VI, 20, 11 *Tim.* I, 2, 12, 14, III, 14, 16. 11 *Thess.* II, 15, c. III, 4, 11 *Pet.*
 I, 21, *Col.* II, 18, ut nihil de comminationibus divinis, *Gal.* 1, 6, 8, *Apo.* XXII, 18,
 Sacrae Scripturae integritate, crebra Diaboli impostura, illusionibus hominum, ab
 illo fraude deceptorum, dicam. Neque hac ratione Omnipotentiae DEI metas
 ponimus, concedimus potius, quandoque alio atque alio modo extra ordinem fa-
 ctam esse a DEO, vel per Angelum, vel per signum aliquod sensibile, ut per ali-
 am creaturam, revelationem, non ad novum fidei dogma revelandum, sed ad
 hunc illumve praemonendum, liberandumque ab instanti periculo, hominem;
 Ordinarie autem hoc fieri debere, DEVMque velle, aut teneri, aut salutarium
 defectum dogmatum hac ratione supplendum esse, id vero constanter negamus.
 Notatu dignissima sunt B. GESNERI verba, quae leguntur in *Dispp. Bibl.* ad *Dan.*
X. Reperiuntur sane, inquit, Fanatici homines, qui colloquia cum Angelis, cum
 ipsoque DEO expetant, quae tamen si contingerent ipsis, nihil profecto ali-
 ud eventurum illis esset, quam quod sociis olim Danielis, vel, quod Israelitis
 qui fulminum fragore, et fulgore tempestatis, majestateque vocis divinae,
 ad montem Sinai perterrefacti Moesen inclamant; Loquere Tu nobis, et audie-
 mus, non loquatur nobis DOMINVS, ne forte moriamur *Exod.* XX. Reliqua,
 quia Fanaticorum argumenta, tantum non ubique refutata deprehendimus, ne
 cramben recoquamus, filum abrumpimus, DEVM TER O.M. calidissimis invadentes
 precibus, ut errantes in viam reducat, Ecclesiamque suam ab tot tantisque opinio-
 num errorumve monstris purget, propter FILIVM suum DOMINVM nostrum
 J. C. crucifixum, cui pro concessis nobis viribus, et aliis innumeris beneficiis
 mihi collatis, Soli sit Laus, honor, et gloria in omnem aeternita-
 tem Amen.

VIRO JUVENI
NOBILISSIMO, CLARISSIMOQUE
DN. CHRISTIANO HALBVSCHIO,

Durlaco-Badensi,

Divinarum, humanarumque, literarum Studiofo,

S. P.

TOto Tibi pectore gratulor Dissertationem, quam de RE-
VELATIONIBUS divinis, earundemque varietate, proprio Mar-
te conscripsisti. Huiusmodi enim argumentum disputando
aggressus es, in quo equidem recte explicando salutis nostrae car-
do vertitur, sed et corrumpendo male curiosa quorundam im-
probitas quotidie fatigatur. Ea nempe in tempora, quod
vides, incidimus, quae olim DIVUS LUTHERUS a duobus maxime
monstris, Epicureismo, et Fanaticismo, infestanda esse praedixit.
Hinc in aliis mores, etiam sub pietatis specie, contaminatissimos,
in aliis animos, veritati divinae vel clanculum infensos, vel aper-
te contrarios, notamus. Praecipuum vero illud, de REVELATIONE
divina, caput hodie tot arietibus concutit Satanas, ut nihil majore
in negotio habere videatur, quam ut illud quantocyus, si fieri
possit, expugnet. Nunc enim *θεσπυσία* ad omnes promiscue
renatos extenditur: nunc revelatio a gentilium superstitionibus,
ac ineptiis, derivatur: nunc ordinariae revelationi extraordina-
ria jungitur: nunc Canoni externo interior praefertur: nunc in-
de expectanda institutio ad infirmiores restringitur: nunc omnis,
quae nunc extat, revelatio ridetur: nunc denique aliquam, vel
adhuc extare, vel unquam extitisse, impudentissime negatur.
Intelligit nempe Satanas, quantum dominatus sui interfit, ut o-
mnis, de divinis revelationibus, doctrina, vel ex animis homi-
num deleatur, vel saltem inquinatissime tradatur. Tanto autem
magis Tuum mihi est commendandum consilium, NOBILISSIME

) : (

HAL-

HALBUSCHII, quod **MAECENATIBUS** Tuis rationem studiorum, locatque apud Nos temporis, redditurus, hanc potissimum coelestis doctrinae partem Tibi, tum sobrie explicandam, tum fortiter defendendam, sumpsisti. In quo si quid nonnulli desiderare se posse crediderint, hos meminisse velim, non eadem a juvenibus, quae a veteranis, et senioribus, exigi posse, et in tanta rerum sese objicientium varietate, et copia, venia dignum esse, si quid forte numeris omnibus non absolutum exciderit. Satis ad laudem Tibi inveniendam fuerit, quod in tam arduo, ac subdifficili, argumento tractando ita versatus es, ut et ingenii, et iudicii, et diligentiae vestigia in eodem impressa reliqueris. Jam precor, ut **MAECENATIBUS** Tuis, qui in Te ornando, iuvandoque, nullis vel studiis, vel sumptibus, parcunt, hoc institutum probes, et in omni genere literarum magis, magisque proficias, et aliis atque aliis ingenii monumentis exsplendesca, tandemque ad munia publica admotus, **DEO**, et Ecclesiae, fideliter servias! Haec summa votorum est

Tui addictissimi
Praefidis.

Clarissimo Domino
HALBUSCHIO,

S. S. Theologiae Cultori exercitatissimo
Felicissimoque

Prosperos porro successus
apprecatur

MARTINVS CHLADENIVS, D. P. P.

et Alumn. Reg. Ephorus.

Multum sane interest, quo ordine et selectu Sancti nostri studii rationes instituantur: speciatim ut caveatur, ne aut vetera

tera monumenta plane negligantur, aut dum illis solis incumbitur, novorum Scriptorum vicissim commentationes contemnantur. Notat hos defectus praeter alios PAVLVS COLOMESIVS eruditus Gallus, et qui Anglis in pretio fuit, in opusculo *Icon Theologorum Presbyterianorum* inscripto p. 27. quod solos hi recentiores Theologos legant atque antiqua despiciatui habeant, cum ex adverso non minus cespitaverit GROTIUS, summus futurus, si a Sacro studio percontando abstinuisset, qui in epistola ad JACOBVM LAVRENTIVM, pro recentioribus confessionibus scriptisque ab ipso plane rejectis commendat CYRILLI *Catecheses*, aliasque Veterum Christianorum confessiones, cum opere ipso et experimento constet, ex neutris solis acquiri soliditatem cognitionis sacrae, sed omnium optime antiquum illud robur cum recentiorum *ἀκριβεία* sociari. Atque hanc methodum in juventute lectati sunt, quotquot genuinos doctores ecclesia purior numeravit, viditque. Horum vero vestigia premenda, viamque non aliam Tibi terendam esse existimas, *Clarissime Domine HALVVSCHI*, quando in antiquis legendis libenter occuparis, et ut nova quoque scrutareri, Exteros adire, et inter illos erudite aliquamdiu hospitari non dubitavisti. Hinc quem ingenii apparatus Tibi comparavisti, atque haecenus inter privatas nostras disputationes opera indefessa exhibuisti, nunc quoque publice in confesso Patrum civiumque erudita disputatione sistis, probasque Te rationibus studii nostri recte invigilavisse. Hoc vero uti nonnisi fausta quaevis de Te mihi pollicetur, ita eo nomine Tibi gratulor ex animo, Deumque precor, ut conatus Tuos omnes porro tendere jubeat in gloriae suae veritatisque Coelestis propugnationem, Tuumque ac Tuorum insignem voluptatem: Vale. Scrib. d. XXIII. Sept. Anno MDCCXIII.

VIRO

V I R O
CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
DN. CHRISTIANO HALBVSCHIO,
S. P. D.
GEORG. FRID. SHROEER, D.

P. P. et Alumn. Reg. Ephorus.

EX eo tempore, cum Tecum colloquutus sum saepius, mores
Tuos, ad modestiam compositos, Tuumque animum optimis
artibus imbutum, non tantum dilexi verum etiam amavi. Val-
de delectatus sum nominibus Magnorum Theologorum, qui-
bus usus es Praeceptoribus, speciatim Dni. D. JAEGERI et Dn.
D. FOERTSCHII, quorum ille Magnum Tübingensis Academiae
Lumen est; Iste uero Jenensem ornat Academiam. Nunc se-
ctaris omnes, qui hic locorum uitam degunt, Theologos Ce-
leberrimos, et mihi Theologiam Exegeticam et Scholasticam
tractanti, priuatimque instituenti examen, colloquio docto et e-
rudito acuti ingenii uires, et profectus, quos in Theologia feci-
sti, laudabiles probasti quotidie. Sic aucta et amplificata do-
ctrina magnam SERENISSIMI Tui PRINCIPIS et MARCHIONIS, cuius
memoria et laus perpetua ac immortalis existat, ^{gratiam} aucupaberis;
augebis erga Te MAGNIFICI CONSISTORII amorem, et magnum be-
ati Parentis nomen ab obliuione et silentio hominum uindica-
bis. Vale. Vitemberg. mens. Septemb. A. 1713.

AD LECTOREM

Irrepserunt, Lector Humanissime, ut fieri plerumque so-
let, sphalmata quaedam operarum, quae pro humanitate Tua sic
corrigas. Reliqua, Ebraica imprimis quorum formis politiori-
bus desituitur, aequum lectorem exspectant.

In dedicatione priore col. 1. lin. 9. TVOS pro TVAS. l. 11. demississimi pro
demississimi. col. 2. l. 17. demississimae pro demississimae.

Pag. 3. lin. 1. σὺν pro συν

P. 4. lin. 21. eam pro ea

P. 6. lin. 13. FOERTSCHIVS pro FOFRTSCHIVS

- - - 17. Σπιδειξί pro Σπιδειξί.

P. 7. lin. 3. DEI pro DE.

- - - 26. παντι, et ἰδαίω τε πρώτον. pro παντί, et ἰδαῖω τε πρώτον.

P. 12. lin. 14. data pro datam.

- - - 26. Ψευδοθεολόγον pro Ψευδο θεολόγον.

P. 13. lin. 19. Scriptura, ait, non, Scriptura, ait,

P. 14. lin. ultima post imo, adde, conceditur.

P. 15. lin. 17. Post generalem, adde, conceptum

- - - 31. debeat pro debeant

P. 16. lin. 11. Atqui pro Aequi

- - - 20. sibi imaginantibus pro sibi imaginantes

- - - 27. factam pro facta.

- - - 28. repraesentationem pro repraesertationem.

P. 17. §. VI. pro V.

P. 18. §. VII. pro VI.

P. 19. lin. 4. aliorumque pro aliarumque

- - - 14. adde in principio, intelligit quae

P. 20. lin. 1. quod, quae pro ut, quae.

- - - 31. FAVSTVM MANICHAEVVM, non, FAVSTVM, MANI-
CHAEVVM

P. 23. lin. 31. praeuidebit pro prouidebit

P. 25. lin. 21. assuetum pro asuetum

P. 27. §. X. pro IX.

P. 28. §. XI pro X.

Pag.

- Pag. 29. lin. 8. facultatem, malis pro malorum facultatem,
 - - - 11. ascribendas pro ascribendas
 P. 30. lin. 3. patent. pro pateant.
 P. 35. lin. pen. dele, ut et familiarum.
 P. 36. lin. 2. LIGHTFOOTVS, non LICHTFOOTVS.
 - - - 14. κερτικώτατⓄ pro κερτικότητⓄ
 - - - 20. ἀλήθειαν pro ἀλήθεια
 P. 37. lin. 20. ἀλήθειαν pro ἀλήθεια
 - - - 31. RAMBAMO pro RHAMBANO
 P. 38. lin. 15. uidetur RAMBAMVS pro uideretur RAMBANVS.
 - - - 23. Phineae pro Phinea.
 P. 39. lin. 8. maxime pro maximae.
 - - - 31. desiderabantur pro desidarebantur
 P. 40. lin. 22. ΠΠ pro ΠΠ
 P. 41. lin. 15. VOISIN pro VOISNI
 P. 43. lin. 6. ἐκτάσεως pro ἐκτασεως.
 - - - 30. ἐκτασιν pro ἐκτασιν.
 P. 45. lin. 10. ipsam Bileami asinam, pro ipsum Bileami asinum.
 - - - 14. eaque, pro atque,
 P. 49. lin. 28. illam pro illa
 P. 51. lin. 15. debuit pro debeat
 P. 52. lin. 8. despoliatos pro dispoliatos
 - - - 25. integram pro integrum
 P. 55. lin. 9. ipsa pro ipse.
 P. 56. lin. 9. ferebatur pro ferebantur.
 - - 14. ἀλήθειαν et ἀγαλμα pro ἀληθεία et ἀγάλματι
 - - 29. asciscat pro asciscat
 P. 57. lin. 5. AEGYPTI pro AEGPPTI
 P. 58. lin. 11. thef. pro tesf.
 - - 25. Resp. I. pro Resp.
 P. 59. lin. 7. utrumque pro utrumq̄
 P. 60. lin. 8. praemio, pro proemio.
 P. 62. lin. 34. ὑποθέσεως pro ὑποθέσεως
 P. 63. lin. 26. SPIRITV S. pro SPIRITVS
 P. 65. lin. 33. totamque pro totumque.